SYNOPSIS
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

QUAM IN SUO SEMINARIO TRADIT ET EXPLICAT

JEREMIAS BONOMELLI

EPISCOPUS CREMONENSIS

EX TRACTATIBUS


DE DEO UNO, TRINO ET CREANTE,

DE ANGELIS, DE HOMINE IN STATU PRIMI HOMINIS,

DE ORDINE SUPERNATURALI,

DE ANGELORUM ELEVATIONE ET LAPSU

ET DE PECCATO ORIGINALI



CREMONÆ
EX TYP. INSTITUTI CHARITATIS MANINI
1872.

SYNOPSIS

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ

QUAM IN SUO SEMINARIO TRADIT ET EVOLVIT

JEREMIAS BONOMELLI

EPISCOPUS CREMONENSIS



CREMONÆ

TYP. INSTITUTI CHARITATIS MANINI.

1872.

PRÆFATIO.

Dei providentia factum est, ut quod semper in votis habui et nescio quo arcano instinctu vehementer optavi, modo obtinuerim. Optabam ego, Clerici dilectissimi, eam amplecti vivendi rationem, qua et animarum cura, et munus sacras disciplinas docendi vitaque plane communis sociarentur: quod jamdiu vix sperare poteram, Deo ita benignissime disponente, consecutum esse me gratulor. Ecce, dilectissimi, vobiscum versor, quotidie vos video, vos alloqui et pro viribus theologicis disciplinis vos imbuere possum, et unus propemodum e vestro numero, inter vos juvenes rejuvenescere me sentio.

Cum vero animo plus semel mecum ipse sedulo reputarem, quo pacto dogmaticis potissimum disciplinis vobis tradendis operam utilius navarem, visum est mihi, non nihil emolumenti capi posse, si quæ vobis scribenda sunt, typis edidissem. Hac enim ratione non solum temporis lucrum, verum etiam et laboris imminutionem, accuratiorem plenioremque doctrinæ evolutionem haberi facile posse existimavi. Haud ignoro, dilec-

ctissimi, hanc theologiæ dogmaticæ synopsin, non minus mole, quam pondere, dicendique ratione nimis tenuem, parvique momenti viris rerum theologicarum peritis, merito videri posse, ut ea typis evulgetur. Namque hæc mea evolutio et revelatæ doctrinæ expolitio perangustis limitibus necesse est contineatur et coarctetur: potiora fidei capita et vix quædam catholicæ doctrinæ consectaria graviora proferam, eaque paucis probationibus communire curabo. Nihilominus, rem undequaque inutilem me fecisse non arbitrabor, si dogmata omnia accurate, perspicue et ad præscriptum Catholicæ Romanæ Fidei omnino exacta vobis et diœceseos Sacerdotibus, præsertim parochis, proposuerim. Et aliud quoque non parvum emolumentum hac synopsi consecuturum esse confido, si, data occasione, theologiæ puriores fontes necnon probatos auctores et theologos, quos consulere poteritis, memoravero vel quomodocunque indicavero. Duobus vel tribus libellis, ni fallor, universam dogmaticam theologiam perstringere studebo, eosque præ manibus atque oculis tamquam catholicæ fidei tesseram habentes, quæ sunt minus recta, minus vera, minus certa, minus catholica facile secernere atque respuere poteritis.

Modo tractationes de Deo Uno et Trino, de Deo Creante, de Angelis, de homine, de primi hominis statu, de ordine supernaturali, de Angelorum elevatione et lapsu, deque originali peccato, typis committo: ceteras vero tractationes, si Deo placuerit, in posterum traditurus. Tandem volo ut sciatis, plura ex iis quæ typis evulgo, quæque ore explicare et evolvere mihi cura erit, mea non esse; maxima ex parte ea a viris doctissimis

didici, et quandoque ipsissimis eorum verbis promam, quos magistros me habuisse jugiter gloriabor. (*)

Hæc præmonenda existimavi, ne quis putaret, me non mea tamquam mea fidenter proferre.

Dominus Deus scientiarum det Vobis, dilectissimi; spiritum intelligentiæ et sapientiæ, ne tot temporis turbationibus rerumque vicissitudinibus abrepti, doctrinis variis et peregrinis abducamini. Valete, filii.

(*) Theologiæ dogmaticæ magistros habui Clementem Schrader, qui primum Romæ, deinde Vindobonæ docuit: et Carolum Passaglia, quem nominare doleo, utpote qui a veritatis tramite miserrime deflexerit.

TRACTATUS DE DEO

PROLEGOMENA

Theologiam universam, ut admonet Dionysius Petavius (tom. 1 Proleg. cap. 1 § IV.) in duas partes dividere possumus; quarum prior est de iis, quæ proprie ad Deum spectant, ejusque naturam atque perfectiones; et haec est minus trita theologiae notio, quamvis, insita spectata vocabuli potestate, sit magis propria. Altera vero magis trita theologiae significatio latius patet, et ea quoque complectitur, quae Deus libere fecit, sive ut auctor naturae, sive ut auctor gratiae et sanctificationis. Prior illa significatio est admodum familiaris graecis Patribus, ut Basilio (epis. 141), Cyr. Alex. (in Jo. 1. 11.), Ephraem (ep cont. Eutich.) et Nazianzeno. (orat. 38), qui haec scribit = Hactenus de Deo disputatum sit, quod ad praesens spectat. Nihil enim his plura attinet dicere: quoniam non de divinitate propositum est modo agere, sed de incarnatione =. Quibus verbis Sacer Doctor satis aperte indicat, *theologiæ* vocabulum usurpari strictiori sensu, disputationemque significare, quæ de Deo divinisque proprietatibus agit.

Cum autem mos obtinuerit usurpandi vocabulum *theologiæ* latiori sensu, a recepta consuetudine non re-

cedemus. Disserentes de Deo nonnulla prae oculis habere debemus, quae Patres summopere commendarunt. Et in primis nos hortantur, ne in divinis rebus perscrutandis nimia curiositate modum excedamus; = Non enim omnia, ait Basilius (hom. 19), lingua sunt proferenda, ne mens oculi instar totum solem intueri volens, lumen etiam illud amittat, quod jam habuit =. Et Esychius subdit =: Ut non propius ad ignem accedit, qui calefit, ita qui de Deo disputat =. Quas imagines a Platone fortassis deprompta et Hilarius Pictaviensis et Nazianzenus usurparunt.

Unde sapientia plenum est Nazianzeni consilium, vel potius præceptum (orat. 26), qui laudibus effert = Qui de Deo moderate loquitur, ita ut quaedam effari noverit, quaedam premere et retinere, quorundam etiam inscitiam fateri. =. Unde Patres (Cyr. Hier. cath. 4 et Alex. in dial. de Trinitate etc.). dicunt, nihil de rebus divinis asserendum, nisi quod Scripturae Sacrae tradunt, prouti scilicet ab Ecclesia explicantur; adeo ipsis cordi erat, ne res divinae solius humanae rationis arbitrio relinquerentur et ita perverterentur. — Gregorius autem theologus praeclarus exhibet normas ab iis servandas, qui theologicis disciplinis operam navant. Ii tantum, sic ille, de rebus divinis disputare possunt, qui cujusvis maculae vel cupididatis sint expertes, vel saltem conantur se sanctos Deo exhibere. Neque omnia omnibus dicere debemus, sed quae nobis, iisque quibus loquimur, congrua sunt. (orat. 29).

Neque tandem e mente excidere debet, quod majores nostri passim inculcant, nempe theologiam non solum pertinere ad intellectum, verum etiam ad voluntatem

referri, atque ad eam corde puro et conscientia non ficta accedendum. = Theologica enim dogmata, si Basilium audiamus (ep. 141), ejusmodi sunt, de quibus loquentes saepe et audientes acquirimus habitum quemdam tenaciter inhaerentem divinorum decretorum. = Et quid hac voluptate jucundius? exclamat Hieronymus (epis. 155)? Qui cibi, quae mella jucundiora, quam Dei scire prudentiam, in ejus abdita intrare, sensum creatoris inspicere? =

Quapropter apud veteres, Clementem Alexandrinum et vulgatum Dionysium, verus *gnosticus* vel *sapiens* vel *theologus* ille est, qui caeteros illuminare queat, actione et opere perfectus sit, Deoque simillimus. — Nam (docet Aug. de Trinitate l. 1.) = nonnisi purgatissimis mentis oculis cernitur, quia humanae mentis acies in tam excellenti terra non figitur nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur. = Cum enim, subjungit Chrysostomus (hom. 2.ª in haebreos), ubique religiosa mente opus sit, tum vero potissimum cum de Deo aliquid loquimur, aut audimus = Impuris enim rem puram attingere fortassis ne tutum quidem est, quemadmodum solis radios intueri; = quae est comparatio a Patribus frequentata, ut videre est apud Nazianzenum, Theodoretum, et Cyrillum Alexandrinum.

Universam de Deo tractationem sequentibus capitibus dividemus. Caput 1. De existentia Dei. 2. De ratione cognoscendi Deum. 3. De ejus essentia. 4. De ejus attributis, quæ negantia appellantur. 5. De attributis, quæ dicuntur aientia. 6. De ejusdem scientia atque voluntate. 7. De providentia. 8. De prædestinatione.

Non est cur admoneamus, non omnia, quae de Deo dici possunt et a philosophis et theologis disseruntur, nos prolaturos esse; siquidem ingens nimis et propemodum infinitus esset labor: ea tantum dicemus, quae necessaria sunt, quaeque a Sacerdote citra culpam ignorari nequeunt.

CAPUT PRIMUM

De existentia Dei.

Thesis. I.ª Probationes existentiae Dei ex propriis theologiae fontibus absque *ullo vitio logico* peti possunt.

Schola universa post. s. Thomam (summ. 1. 1. q. 2. art. 2. ad 1.) Dei existentiam inter praeambula ad fidei articulos recensuit: existentia enim Dei praerequiritur ut fundamentum totius theologicae scientiae, et solo naturalis rationis lumine ostendi potest. Re sane vera: proprium theologiae objectum est Dei revelatio: si igitur existentia Dei theologicae scientiae non praesupponeretur, theologia nulla foret: quo enim pacto theologus doctrinas a Deo revelatas ostenderet, illustraret, vel tueri posset, nisi Deus iste revelans vere existens praesupponeretur?

Quare Dei existentia merito inter praeambula fidei a s. Thoma caeterisque theologis collocatur, et praesupponitur *sicut gratia præsupponit naturam*, et *ut perfectio perfectibile.* (S. Thom. l. c.). Ex qua doctrina colligimus, Dei existentiam solius rationis humanae viribus absque supernaturali revelatione demonstrari posse, quod *traditionalistae* negant: sed hic de tradi-

tionalismo quaestio non est. Cum vero Dei existentia ex sola ratione ostendi valeat, ut diximus, quidam arbitrantur, eandem veritatem non posse ullo ex fontibus theologiae hauriri; quod si fiat, circulus vitiosus incurratur, quandoquidem demonstratur existentia Dei theologice, praesupposita ipsa Dei existentia. — Verum doctores illos falli ii dabunt, qui duplicem theologicorum locorum habitum vel respectum consideraverint. Loci theologici, scilicet traditio, scriptura, ecclesiae auctoritas, etc. considerari possunt *materialiter*, et sunt monumenta *historice certissima*, et fide *naturali* dignissima: si considerantur *formaliter*, sunt monumenta non solum historice certa, sed *infallibilia* et *supernaturalem* certitudinem parientia.

Loci theologici, priori ratione spectata, absque *vitio logico* adhiberi possunt ad demonstrandam Dei existentiam, minime vero si altera ratione spectantur. Scriptura sacra, traditio vetusta, etc. sunt monumenta historica et antiquissima, et etiam humana ratione considerata, quavis exceptione majora. Jam vero, quemadmodum existentiam ex. gr. Caesaris, Theodosii, etc. eorumque gesta ex historia et monumentis ostendimus, ita Dei existentiam Bibliae et traditionis auctoritate demonstramus; siquidem tum Biblia, tum traditio narrant esse Deum, eaque referunt, quae solus Deus facere potest. S. Thomas egregie hanc veritatem evolvit in Summa 1. 1. q. 1. a. 1. et a 11. q. ad 1. his verbis: = Nihil prohibet illud, quod secundum se demonstrabile est, et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demostrationem non capit. =

Quibus positis, en demonstratio: = Scripturae et monumenta omnia traditionis narrant: 1.° innumeras et

publicas theophanias factas patriarchis, prophetis etc. 2.° plures rerum physicarum derogationes, ut diluvium universale orbi terrarum inductum; tot prodigia in Ægypto, in mari rubro, in deserto, in terra Canaan patrata, etc. memorant: 3.° derogationes legum moralium, ut sacrificium Abrahae impositum, vasa Ægyptiis sublata, internecionem Cananeorum, etc. referunt 4.° derogationes legum psicologicarum, ut sunt praedictio futurorum, occultorum cordium manifestatio, virtutum omnium excedentium humanas vires jugis et perfectissimus cultus, etc. Porro haec omnia, quae certissime contigerunt, ne concipi quidem possunt, nisi legum omnium moderator existat, Dominus omnium, cui triplex ordo phisicus, intellectualis et moralis subsit, quique illum pro voluntate statuat, conservet, disponat, immutet, etc.

Ergo ex monumentis biblicis et traditis humana ratione consideratis, inferimus existentiam supremi rerum omnium auctoris atque moderatoris. Verum haec dicta sint ad quandam eruditionem theologicam potius quam ad plenam demonstrationem, quae in sequentibus propositionibus latius traditur.

Thes. 2.ª Dei existentia tum ex consensione omnium populorum, tum ex rerum universitatis contemplatione demonstratur.

D. Ad populorum omnium suffragium ex ethnicis se receperunt Maximus Tyriensis, Plutarcus et Cicero de leg. c. 8, qui scribit: = Nulla gens est neque tam fera, neque tam immansueta, quae non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat. = Ex nostris hoc argumento usi sunt Cypria-

nus de vanitate idolorum, Minucius Felix, Clemens Alexandrinus strom. l. V.° c. 14 et Tertullianus apol. c. 17, qui haec protulit: = Vultis ex animae testimonio comprobemus, quae licet carcere corporis pressa, pravis institutionibus circumscripta, etc. cum tamen rescipiscit, Deum nominat.... O testimonium animae naturaliter christianae!... = Etsi haec verba Tertulliani ad unitatem Dei *directe* referantur, *indirecte* tamen ejusdem existentiam demonstrant. — En totum argumentum: quod populi omnes quovis tempore, ubivis terrarum, publice et privatim, unanimiter professi sunt, licet institutionibus, opinionibus et indole diversissimi, imo repugnantes, non est adscititium, sed traditum et naturae congenitum: atqui: ergo.

Ad alterum veniamus argumentum, illudque splendidius, quo non minus philosophi etnici quam christiani delectantur. Argumentum aliorum verbis referam; et in primis ex profanis audiatur neoplatonicus Philo (de monarch.): = Cognoscendorum opificum indicia sunt semper opera ipsa. Quis enim statim statuas picturasque conspexit, non statim de statuario vel pictore cogitavit? Et quis vestes aut naves aut aedes intuens, non subinde factorem etiam intellexit? Ac si quis in civitatem veniat legibus optime constitutam, quid aliud suspicabitur, nisi regi ab optimis magistratibus illam ipsam civitatem? Quamobrem qui in hanc revera magnam civitatem introierit, mundum videlicet, ibique contemplatus fuerit montanam et campestrem regionem animantibus refertam . . . et pabula, et aëris temperiem, annuarum tempestatum conversiones, solem et lunam, diei noctisque moderatores, etc. etc. nonne verisimiliter aut po-

tius necessario de Patre et Conditore nec non rectore cogitabit? =

Ex nostris duos tantum citabo, orientalis ecclesiae gloriosissima lumina: — Gregorius Nazianzenus sic eleganter argumentum evolvit: = Quod Deus sit, et princeps quaedam causa, quae res omnes procrearit atque conservet, cum oculi, tum lex naturalis docet: illi dum in res aspectabiles intendunt, easque et pulchre fixas et mōbiles esse, et, ut ita dicam, moveri volvique conspiciunt; haec dum per res oculis subjectas, ac recto ordine collocatas, auctorem earum conjectura quadam colligit. Quonam enim modo universa rerum moles vel producta nunquam fuisset, vel consisteret, nisi omnia in rerum naturam Deus protulisset, atque conservaret? Quemadmodum enim quispiam cytharam videns pulcherrime elaboratam, ejusque concinnitatem et ordinatam dispositionem, aut etiam citharae ipsius cantum audiens, nihil aliud, quam cytharae ipsius fabricatorem ac cytharedum cogitabit, et ad ipsum recurret animo, etiamsi de facie minime cognoscat, sic etiam nobis eorum, quae condita sunt artifex, eaque movens et conservans causa manifesta est, tametsi mente non cognoscatur. Ac nimis profecto hebes et stolidus est, qui non hucusque sponte progreditur et demonstrationem naturalium non sequitur. (orat. 34), = Germana sunt, quae habet Athanasius adv. Gentes c. 35 = Ut civitatem amplam ac magnificam si quis videat ex immensa hominum multitudine collectam, quorum non unus sit habitus ac conditio, sed alii pusilli sint, aut magni, aut divites, aut egentes, senes alii, alii juniores, etc, eosdemque omnes animadvertat recte atque ordine

vivere inter se summa pace atque concordia, ut neque divites contra pauperes insurgant, neque magni contra pusillos, neque contra senes adolescentes, sed juris aequalitatem inter se constanter teneant: haec si viderimus, statim cogitabimus, adesse ibi principem aliquem, qui hanc tranquillitatem pubblicae pacis administret, etsi oculis nostris eum nondum conspexerimus, propterea quod et ordinis perturbatio nullum esse qui praesit indicio est, et ordo ipse gubernatorem ostendit. Sic dum in corpore membrorum inter se concordiam videmus, in quo neque oculus cum aure pugnat, neque manus a pede dissidet, sed unumquodque citra dissensionem munere suo fungitur, ex eo prorsus intelligimus, animam in illo esse corpore, quae haec omnia moderatur, quamvis oculis ea non sit exposita, sic ex universitatis ordine ac concentu principem et administratorem intelligi necesse est Deum. =

Confer Augustinum de civitate Dei l. VIII.° c. 6 et alib., Damascenum de fide l. 3 etc.

Argumentum ita paucis perstringitur: ordo necessario supponit ordinatorem atque rectorem: porro in mundo hoc aspectabili omnia ordinatissima sunt: ergo existit ordinator supremus et universalis, quem Deum appellamus.

Quod Patres fusa oratione explicarunt, scriptura innumeris locis indicaverat. Psalm 18 = Coeli enarrant gloriam Dei etc. = Sap. XIII.° 1. seq. = Ex magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri = Act. XIV.° 15 = Non sine testimonio semetipsum reliquit (praeteritis generationibus), benefaciens de coelo, dans pluvias et tempora fructi-

fera etc. = Rom. I° 19, 20: Quod notum est Dei manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles. =

Ex quibus omnibus oraculis haec manifestissima sunt: 1.° Deum ab omnibus hominibus cognosci posse etiam absque divina supernaturali revelatione. 2.° Quia Dei existentia sole clarior est, dummodo in hanc rerum universitatem et ordinem, quo regitur, oculos intendamus: 3.° ita ut, si qui Deum ignorent, excusari non possint.

Thes. III.ª Succedit alterum argumentorum genus, quo Dei existentia probatur, quodque methaphisicum et mixtum appellatur.

Theodorus Abucara Dei existentiam ostendit ex humani generis existentia hoc pacto = Fingamus homines esse centum: non possunt omnes esse geniti, quippe ab invicem propagati sint: itaque nostra mens genealogiam retro percurrens, plane in aliquem incidit ingenitum. Non enim fieri potest, ut cum ad primum pervenerimus, dicamus ab alio ipsum esse genitum, quandoquidem et ille ab altero esset genitus, donec in primo quopiam ingenito mens nostra defigeretur. Igitur necesse est, istum vel in terra esse editum, velut stirpes, vel esse aeternum, vel ab opifice aliquo factum. Si ex terra pullulasset, usque in hodiernum diem terra alios procrearet, sicut fit in genere arborum et herbarum. Sed quia hoc fieri non videmus, manifestum est neque primum germinasse. Sed nec aeternus erat: si enim principio caruisset, numquam mortuus fuisset, et inte-

riisset; quod enim principium non habet, neque finem habet. Relinquitur igitur ut factus fuerit. Quod autem factum est, auctorem habet: est igitur creator et auctor hominum Deus. = (dial 2). Nihil evidentius hac demonstratione a posteriori. — Idipsum evincere solent Patres ex mira humani corporis structura (Lactan. opif. Dei 11. 11. VII. VIII. seq, Nyss. Ho. opif. c. XXX. Basilius hom. *attende tibi* etc.), ex animae testimonio (Lact. Just. 11. 1.) etc. etc.

At demonstratio validior ea est, quae a priori, quamque sic conficere possumus: aliqua substantia semper extitit non facta et propterea necessaria: porro ex iis, quae videmus, nihil est aeternum, infectum, necessarium: ergo praeter universum substantia aliqua existit, etc.

Sane: si nihil fuisset, nihil unquam exstitisset, ut perspicuum est, cum ex nihil nihil produci possit. Ergo ab aeterno aliquod ens exstitit, non factum, independens, a se, necessarium atque perfectionibus omnibus honestatum.

Jam vero omnia, quae circumstant non sunt ab aeterno, non sunt a se, necessaria etc. quia oriuntur et decidunt, mutantur in dies, et possunt cogitari existentia et non existentia, meliora, etc. Ergo est substantia praeter rerum universitatem, aeterna, necessaria, etc. etc.

Anselmus ita argumentatur prosl. c. 2: = Est aliquid, quo nil majus cogitari potest, et hoc non potest esse in solo intellectu, sic enim non esset majus: Deus autem est id, quo nil majus cogitari potest: Ergo (V. De Aguirre. t. 1. disp. 12 sect. 1.) Augustinus (de lib. arb. l. 2 c. 5; de civ. Dei l. 8 cc. 3. 4. 5. 6.) hac ratione argumentum instituit = Id perfectum est, quod per-

fecti particeps est: ergo est aliquid perfectum a se, suaque natura. =

S. Thomas probat ex necessitate primi motoris. Certum est aliqua moveri: quod vero movetur, ab alio movetur, quod ex se manifestum est. Si ergo id, a quo movetur, moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio: sed repugnat series motorum infinita, et necessario ad primum movens, non motum, seseque movens erit deveniendum: et primum movens, quod a nullo movetur, est Deus (Thom. 1. 1. q. 2. a. 3).

Praeterea sunt plura magis minusque bona, vera, etc. ergo est summum bonum et verum etc. secus neque illa concipi possent, ut dicit S. Thomas ibid. = Quarta via etc. =

Caetera plura argumenta, quae afferri solent, omitto: praeter Augustinum, Damascenum, Thomam, Anselmum, Bonaventuram, aliosque hanc veritatem mira perspicuitate demonstravit Fénelon (Existence de Dieu).

Difficultates, quae opponuntur, videte apud theologos, Thomam l. c., Suarez methaphysica t. 2, Tournely de Deo, Perrone p. 1. c. 1., Gerdil = dell'esistenza di Dio etc. = t. 11 et alib. etc. etc.

Scolion. Idea Dei ex quo fonte promanat? Est quaestio difficillima, de qua inter philosophos tum veteres tum recentiores acriter dimicatum est: alii defendunt ideam Dei ex immediato ipsius Dei intuitu sobolescere: alii eam ex rebus creatis per abstractionem repetunt: illi *ontologi*, isti *psicologi* appellantur: esset et alia sententia media, quam sequuntur philosophi recentiores, ut videre est apud Ramière (De l'unité dans l'ensei-

gnement etc. troisième partie. Paris 1859.)

Ut in hac quaestione jam nimis agitata quid teneri debeat, innotescat, septem propositiones, quae sanctae romanae universalis Inquisitionis judicio *tuto* tradi non possunt, referre operae pretium erit.

P. 1.ª Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit, siquidem est ipsum lumen intellectuale.

2.ª Esse illud, quod in omnibus, et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.

3.ª Universalia a parte rei considerata a Deo *realiter* non distinguuntur.

4.ª Congenita Dei tamquam entis simpliciter notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens, sub quocumquê respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus.

5.ª Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur.

6.ª Res creatae sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit.

7.ª Creatio sic explicari potest; Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tanquam distinctum a determinata creatura, homine v. g., creaturam producit. (Fer. IV.ª die 18 Sept. 1861.)

Coroll. I.m Ex dictis profligantur non solum athei, sed etiam Pantheistae.

Coroll. II.m Refelluntur philosophi illi, qui affirmant, Dei existentiam ostendi non posse argumentis solius rationis, sed sola revelatione et fide eam teneri, quique tra-

ditionalistae vocantur, inter quos recensendi veniunt Ventura, Nicolas, Bonald, Lovanienses et alii.

Eorum doctrina refutat S. Thomas contra gentes l. 1. c. 3 cap. 10, quod sic inscribitur = De opinione dicentium, quod Deum esse, demonstrari non potest, cum sit per se notum = et cap. XI, cui titulus; = Reprobatio praemissae opinionis, et solutio rationum praemissarum = et c. XII, quod ita jacet = De opinione dicentium, quod Deum esse sola fide tenetur, et demonstrari non potest. =

Coroll. III.m Refellitur etiam Boutain, qui dicebat, argumenta a philosophis et theologis prolata ad existentiam Dei adstruendam, vel nihil evincere, vel probare existentiam Dei logici, subjectivi etc.

CAPUT ALTERUM

De ratione cognoscendi Deum

Thes. IV.a Quemadmodum respuenda est sententia etnicorum, quorundam veterum haereticorum et recentiorum philosophorum affirmantium, Deum esse penitus *incognitum*, ita absurdum et impium censeri debet philosophumenon, quo veteres Eunomiani *adæquatam* Dei comprehensionem sibi tribuebant.

D. I.ae p. Inter etnicos Plato in Timaeo, Cicero de natura Deorum l. 12; inter haereticos Marcionitae, et quos Tertullianus et Irenaeus (l. 10. 6) carpunt; inter philosophos Hobbes et Kant docent, Deum esse penitus incognitum; quae sententia non modo falsa, sed absurda est.

1.o Omnes homines, qui nomen Dei usurpant, aliquid

se intelligere putant, non enim verbis ludunt quavis reali potestate destitutis. — 2.° De rebus penitus ignotis neque cogitamus, neque loquimur. — 3.° Argumenta supra allata ad existentiam Dei demonstrandam hanc absurdam doctrinam profligant: demonstrant enim non solum Dei existentiam, sed quid sit aliquo modo patefaciunt. — 4.° Tertullianus ridet Varronem, qui Deos in *notos* et *ignotos* diviserat. — 5.° Irenaeus gnosticos refellens scribit = Supervacaneus fuisset adventus ejus (Christi) si nihil de Deo cognosceremus; quid enim huc veniebat? An ut diceret nobis: nolite quaerere Deum, incognitus est enim et non invenietis eum? (IV.° 6). = 6.° Scripturae et Patres ubique passim de cognitione Dei loquuntur, ad eum assequendum hortantur, hunc esse hominis finem affirmant etc. etc.

D. II.ae p. Est et alius error ex aequo profligandus, quem saec. IV.° Eunomiani, media aetate Abelardus, audacissime propugnarunt. Eunomiani, testibus Basilio et Efraem, affirmabant, Deum ab hominibus cognosci posse sicut Deus seipsum cognoscit, et quidem solius rationis lumine. Tantam insaniam refutant Cyrillus Alexandrinus contra Julianum, Nazianzenus, Augustinus, Ambrosius, qui hac comparatione utuntur: si oculus solis radios sustinere non potest, quomodo vibrantem vultum aeterni creatoris cernere poterit, hujus corporis exuviis adhuc opertus? — Epiphanius Eunomianorum commentum vocat *audaciam*. Si nec lapides, nec metalla, nec nosmetipsos perfecte cognoscimus, ajunt ambo Gregorii, Chrysostomus et Theodorus, quomodo rerum conditorem comprehendere potuerimus?

Confirmatur effatis scripturarum, quae Deum praedicant

ut *inaccessibilem*, *invisibilem*, *incomprehensibilem* etc., quae docent in praesenti *nos non per speciem*, sed *per fidem ambulare*, *videre per speculum et in enigmate*, *non facie ad faciem*, *ex parte cognoscere*, utpote revelationis lumine ditatos etc. etc. Ergo scripturae perfectam Dei cognitionem apertissime negant.

Ipsa naturalis ratio huic veritati suffragatur, siquidem repugnat affirmare, finitum, mutabile, temporarium, etc. infinitum, immutabile, aeternum comprehendere. Ergo. V. Lateranense cap. *Firmiter*.

Thesis V.ª Fatendum pariter est, Deum in hac mortali vita neque per fidem ipsam, sicut in se est, cognosci posse.

Testimonia sacrarum scripturarum in thesi antecedenti indicata et ex I.ª Cor. 13. 9 : I.ª Tim. VI. 6 : Ex 33. 20 etc. deprompta huc faciunt.

Namque discimus, homines fide locupletatos (de his enim Paulus et Moyses loquuntur) Deum in sua essentia videre non posse.

Hinc Scripturae et Patres visionem Dei in ipsa sua essentia in vita futura reservatam tradunt: tunc videbimus eum sicuti est, et revelata facie, ipsius gloriam contemplabimur. S. Thomas 1. 1. q. 12. a. 2. 11., ubi haec scribit: = Requiritur ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte visivae potentiae, qua scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum. Sed ex parte visae rei, quam necesse est aliquo modo uniri videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest. Primo quidem, quia . . . . per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci

essentia rei incorporeae. Multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri.... Et quia divina essentia est aliquid incircumscriptum etc. etc. nullo modo repraesentari potest per creatam speciem, quae semper determinata est etc. etc. = Unde articulo V.° ejusdem quaestionis ostendit necessitatem alterius luminis, ut Deus in sua essentia videatur, quodque lumen gloriae in altera tantum vita largietur Deus. (Petavius l. VII. c. 4).

Coroll. Ex dictis in superioribus thesibus merito colligere possumus, homines neque perfectissime Deum cognoscere, neque penitus ignorare, sed *imperfectam* habere Dei *notitiam*, quae, ut scite animadvertit Chrysotomus, neque cum perfecta ignorantia, neque cum perfecta scientia confundi potest.

Thes. VI.ª Ex Patrum et theologorum doctrina non minus quam ex ipsa rei natura efficitur, triplicem esse rationem cognoscendi Dei, scilicet 1.° per affirmationes perfectionum: 2.° per negationem imperfectionum: 3.° denique per cognitionem *secundum eminentiam.*

Vulgatus Dionysius, Maximus martyr, Joannes Cyparissiota aliique Patres et theologi dicunt, rationem cognoscendi Dei *per affirmationem duplicem* esse; prior per *symbola*, altera *per demonstrationem affirmantem*. Ratio, quae per symbola ad Deum assurgit rudioribus accomodata, Deum repraesentat descriptionibus figuratis et quibusdam similitudinibus: sic quando dicimus Deum ignem, lapidem, leonem, agnum, lucem etc: quando dicimus, Deum irasci, laetari, poenitere, descendere, inebriari, clamare, etc. symbolica vel methaphorica ratione Deum cogitamus, quatenus in his rebus sensibilibus, humanis que affectibus vel actionibus

aliquid Deo simile intelligimus, quo ad Deum ipsum provehimur.

Altera autem ratio cognoscendi Dei per affirmantem demonstrationem habetur, cum aliquid de Deo *non figurate* sed *proprie* affirmatur. Hoc modo ascendimus ad Deum, quando dicimus: Deus est bonus, verax, pulcher, sapiens, beatus, etc. affirmamus enim proprietates istas, quas in creaturis imperfectas videmus, easque Deo tribuimus.

D. II.[ae] p. Altera succedit ratio cognoscendi Dei superiori praeferenda. Inter effectus et causas, ajunt Dionysius Vulgatus et Thomas, perfecta similitudo esse nequit; nam causae pro sui principii ratione longe effectibus praecellunt. Quamobrem cum Deum ex ipsius effectibus cognoscamus, et notitia sit imperfecta et inadaequata, consequitur, ea omnia, quae Deo tribuimus, quaeque ex creaturis manifesta sunt, potius neganda quam affirmanda esse. Nam proprietates divinae, prouti a nobis concipiuntur, profecto minime Deo competunt, sed excellentiori ratione, *quia aliquid semper sensibilium*, scribit Elias Cretensis, *atque corporearum rerum se interjicit, cum de eo aliquid concipimus.*

Unde egregie auctor divinorum Nominum docet: = Deus est expers substantiae propter excessum substantiae; est vita carens propter excellentiam vitae, expers mentis propter mentem praestantissimam, qui substantiam omnem et essentiam superat, et nihil est eorum, quae sunt. = Et veritatem maxime assequitur, qui dicit, sic Maximus martyr, non esse Deum quidquam eorum, quae sunt, sed esse super omnia. = Et Nazianzenus eleganter canebat. =

Tu finis cunctorum, unus
Simul omnia nullus,
Non unus, non cuncta. =

Quae omnia more suo complexus est Thomas contra Gentes l. 1. c. 14 = Est autem via remotionis utendum, praecipue in consideratione divinae substantiae. Nam divina substantia omnem formam, quam intellectus noster attingit, sua immensitate excedit; et sic ipsam apprehendere non possumus, cognoscendo quid est, sed aliqualem ejus habemus notitiam, cognoscendo quod non est. Tanto enim ejus notitiae magis appropinquamus, quanto plura per intellectum nostrum ab eo poterimus removere: tanto enim unumquodque perfectius cognoscimus, quanto differentias ejus ab alio plenius intuemur: habet enim res unaquaeque in seipsa esse proprium ab omnibus aliis distinctum. Unde et in rebus, quarum distinctiones cognoscimus, primo eas in genere collocamus, per quod scimus in communi quid est, et postmodum differentias addimus, quibus a rebus aliis distinguatur, et sic perficitur substantiae rei completa notitia. Sed quia in consideratione substantiae divinae non possumus accipere quid quasi genus, nec distinctionem ejus ab aliis rebus per affirmativas differentias accipere possumus, oportet eas accipere per differentias negativas. Sicut in affirmativis differentiis una aliam contrahit, et magis ad completam designationem rei appropinquat, secundum quod a pluribus differre facit, ita cum differentia negativa per aliam contrahitur, quae a pluribus differre facit: sicut si dicamus, Deum non esse accidens, per hoc quod ab omnibus accidentibus distinguitur: Deinde si dadamus, ipsum non esse corpus, distinguemus ipsum

etiam ab aliquibus substantiis, et sic per ordinem etc. et tunc de substantia ejus erit propria consideratio, cum cognoscatur ab omnibus distinctus; non tamen erit perfecta cognitio, quia non cognoscitur, quid in se sit. =

CAPUT TERTIUM

De essentia Dei.

Thes. VII.ª Inquirentes quid Deus sit, affirmamus primo veluti loco, ipsius essentiam nobis affulgere, quâ Deus *est qui est* (*ὁ ὤν*) *absolute*, quod s. Litterae, Patres ipsique haebrei et gentiles philosophi docent.

D. Quamvis Dei naturam proprie investigare non valeamus, tamen multa fide edocti et ipsa ratione, uti par est, utentes, debita reverentia, quid Deus sit, inquirere possumus.

In rebus creatis aliud est substantia vel natura, aliud est quod ex ipsa proficiscitur, eique adhaerescit; ex g. odor, color, pulchritudo, etc. Ita et in Deo, quamvis simplicissimus sit, *ratione intelligendi* distinguere possumus id quod est, seu substantiam Dei, et quod ab eadem efflorescit, et eidem intime conjungitur, quodque nomine proprietatum et attributorum comprehendimus.

Sepositis proprietatibus seu attributis, de quibus infra, nunc de eo, quod est Deus in se, disserere volumus.

Deus in eo situs est, ut sit, *qui est*, atque proprium Dei nomen est hoc, *qui est, ὁ ὤν*.

In Ex. III.º 14 Deus dicit Moysi: = Ego sum qui

sum; sic dices filiis Isräel: qui est misit me ad vos = Vide loca parallela et apud Isaiam etc. etc.

Miro consensu idipsum tradunt graeci et latini Patres. Audiamus Clementem Alexandrinum Poedag. c. 8 = *ο ων.* illud exprimit, qui revera solus est. =. Augustinum de fide et symbolo c. 4 = Quid est quod est? Quod aeternum est; nam quod semper aliter atque aliter est, non est, quia non manet = Hieronimum in epistola ad ephesios = qui est misit me ad vos: numquid solus Deus erat, et caetera non erant? Utique Angeli erant etc. etc. Illa..... caussa, quia caetera, ut sint, Dei sumpsere beneficio: Deus vero qui semper est, suaeque causa substantiae, non potest intelligi aliunde habere, quod subsistit. = Nazianzenum orat. 36. = Ens (*ο ων*) proprium sane est Dei, ac totum, nec priore aliqua re, nec posteriore definitum ac circumcisum = Damascenum l. 1 c. 12 = Ens omnium nominum proprium maxime est Dei: totum enim in seipso comprehendens habet esse, velut quoddam essentiae pelagus infinitum et interminatum = (Confer Anselmum prosl. cc. 12. 13. etc. Bonaventuram itin. mentis etc. Cirillum Alexandrinum, Origenem, Ambrosium, Hilarium.etc.)

Ipsi philosophi gentiles adstipulantur, ut Heraclitus, Plutarcus, Plato, et ex haebreis Philo etc.

Indubitatum est igitur, Deum *esse* ipsum esse, et nihil aliud quam *esse*: unde hoc nomen est proprium Dei nomen, quod ita declarari potest:

1.° Nomen hoc *qui est,* spectata sua potestate, nullam particularem formam significat, sed ipsum *esse,* quod nonnisi Deo tribui potest, cum ipsius esse sit ipsa ejus essentia: non enim ab alio est, sed a se, et idcirco solus Deus dici potest *qui est.*

2.° Caetera alia nomina sunt minus communia, et aliquid supra quodammodo addunt, adeoque ipsum Deum forma quadam afficiunt et determinant. Hoc autem nomen *qui est* nullum determinat modum substantiae divinae, sed totam simpliciter affirmat.

3.° Hoc nomen quamlibet praeteriti vel futuri excludit ideam divinamque substantiam in praesenti actuque sistit.

(Haec ex sancto Thoma prima primae, quaestione decima tertia, articulo secundo, collata quaestione tertia, articulo quarto.)

Scolion Sic Dei natura proprioque nomine statuto, haud aegre attributa omnia deducuntur, et inter se componuntur. Sane:

Quidquid de Deo cogitare et loqui possumus, omnia hoc uno verbo perfecte comprehenduntur: *qui est.* Hoc enim verbo quidquid est sapiens, quidquid est bonum, quidquid est justum, quidquid est pulchrum, etc. etc. continetur.

Inde immensitas, inde aeternitas, inde infinitas, inde immutabilitas, etc. etc. quae nihil aliud significant nisi plenitudinem substantiae, quae nulla ex parte nulloque respectu deficiens invenitur.

Huc verba Bernardi spectant libro primo de consideratione, capite sexto:

═ Quis est? Non sane occurrit melius, quam qui est. Hac ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente: qui est misit me ad vos. Merito quidem. Nihil competentius aeternitat quae Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instaurantur, quod est, est.

Nempe hoc est ei esse, quod haec omnia esse. Si et centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti..... Ipse sibi, ipse omnibus est: ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius est et omnium esse =.

Thes. VIII.ª — Theologice non minus quam philosophice unitas Deide monstratur.

Contra Dei unitatem errarunt:

1.° Dualistae, duos inferentes Deos, quorum unus bonus, alter vero malus.

2.° Tritheistae, tres Deos statuentes.

3°. Polytheistae, plures Deos admittentes.

Paucis rem expediemus.

Deuteronomii VI.° 4: = Audi, Israel Dominus Deus noster Dominus *unus* est = Ibidem XXXII.° 39: = Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me = Isaiae XLIV.° 6: = Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus = etc. Quae testimonia explicatione non indigent.

Praeterea: praecipuum controversiae caput inter christianos et paganos huc redibat: illi monotheismum, isti polytheismum tuebantur, ut probant Patrum apologiae prioribus saeculis editae.

Neque sola fidei auctoritate unitatem Dei propugnabant Patres, sed etiam ratione adstruebant. Probant enim:

1° Ex eo quod Deus sit summum ens, quo nil majus aut melius cogitari potest: porro si plures Dei haberentur, vel aequales essent, vel superiores, vel inferiores: si aequales aut superiores, Deus jam non amplius est

summum ens; si vero inferiores sunt, Dii esse nequeunt. (Tertullianus cont. Marcionem l. 1. c. 3.)

2.° Probant ex Dei immensitate: duo enim immensi concipi non possunt; unus enim alterum excludit. Probant:

3.° Deus est ipsum esse et totum esse: unus igitur est Deus, secus quod unus haberet alteri deesset, et neuter Deus esset.

4.° Deus est primum ens, qui est a se et propterea *absolute* independens; sed primum est, unum esse debet (Richard. Vict.). Probant:

5.° Ex unitate ordinis, quo universus orbis gubernatur. (Lact. de Ira Dei c. 11. Naz. serm. 3.)

Probant 6.° ex ipsa hominis conscientia: (Tertullianus apolog. c. XVII.°)

Recolite septemdecim argumenta Divi Thomae contra Gentes l. 1.° c. 42, ubi haec veritas abunde ostenditur.

Opp. I.° In scriptura iterum atque iterum Deorum pluralitas indicatur. Gen. I. 26. III.° 22 etc.

Resp. Indicatur Trinitas personarum C. pluralitas Deorum N.

Opp. II.° Si conceditur Trinitas personarum distinctarum, concedi potest pluralitas Deorum.

Resp. Negandum est, quia trium personarum una est substantia: pluralitas deorum totidem induceret personas, quot sunt Dii, quod repugnat.

Opp. III.° Saltem dualismus concedi debet, ut vel ipsae scripturae tradunt Eccli. XXXIII.° 15; XLII° 25; Joann. XII.° 31 etc.

Resp. In citatis locis vel docemur in hac vita homines bonis et malis affici, vel diabulum quamdam sortitum esse in hominem potestatem, Deo ita disponente;

sed de duplici principio aequali ne verbum quidem esse potest.

Opp. IV.° Si unus tantum esset Deus summus bonus et omnipotens, malum morale non haberetur; atqui: ergo etc.

Resp. Si malum a Deo tanquam a caussa efficiente proficisceretur C. Si a creaturis, permittente Deo, repetatur, N.

Opp. V.° Deus ut bonus et omnipotens malum quodcumque expellere potest et debet.

Resp. Potest C. Debet N. Plures esse possunt caussae, ob quas Deus malum permittit etc.

Opp. VI.° Sicut bonus effectus bonam causam supponit, ita malus malam. Ergo

Resp. N. paritatem. Bonus effectus supponit caussam bonam C. malus malam in se N. malam defectu quodam C. — Nam malum non est quid vere *positive* existens, sed est boni defectus, et idcirco non requiritur causa positiva.

CAPUT QUARTUM

De divinis attributis negantibus.

Thes. X.ª Cum infinita Dei perfectione nexa est perfectissima Dei simplicitas: quapropter in Deo nulla est prorsus aut *phisica* aut *metaphisica* compositio, et ipsa *realis* distinctio, qua personae divinae opponuntur, Dei simplicitatem non tollit, cum omnes simul, et earum unaquaeque sint una essentia simplicissima, non essentiae partes.

D. I.ª P. In Deo aliae sunt proprietates *absolutae* et aliae *relativae:* hic de *absolutis* tantum disserimus. Proprietates seu attributa *absoluta* bifariam distingui solent, scilicet *negantia* et *affirmantia*: hic agemus de *negantibus*.

Negantia attributa plura sunt, et in primis occurrit simplicitas, qua *immediate* omnem compositionem in Deo negamus, *mediate* vero omnimodam simplicitatem affirmamus. Compositio multiplex esse potest. Dicitur *phisica,* si partibus diversis, substantia et forma exurgat: *metaphisica*, si ex potentia et actu etc. coalescat: *logica,* si ex genere et differentia constet. (Conf. Thom. 1. 1. q. 3.ª praesertim art. 2. 5. 6. etc.)

Dei simplicitatem aliter atque aliter negarunt idololatrae, pantheistae omnes, Sansimoniani, Gilbertus Porretanus, Greci Palamitae, Ab. Joachim etc.

Perfectissimam Dei simplicitatem biblicis oraculis adstruimus. Deus dicitur absolute et simpliciter *spiritus:* ergo materiae et formae expers esse debet. Cf. Isaiam 40. v. 18. Sap. 1. v. 5, 6. c. 7, v. 23 etc. et nominatim Corinth. 2.ª 3.° v. 17. = Dominus autem spiritus est =, et Joann. 4.° v. 24. = Spiritus est Deus; et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare =. Ex quo loco apertissime ideae corporis idea spiritus opponitur: putabat enim mulier samaritana, Deum uno tantum loco adorari posse: Christus autem docet, omni loco adorari posse, et causam subdens, ait = Spiritus est Deus = ac si diceret, loco et spatio neque distenditur, neque coarctatur.

Praeterea Deus in scripturis modo diserte, modo aequipollentibus verbis dicitur Immensus, Omnipraesens

etc.: haec autem attributa postulant, ut Deus non corpus, sed spiritus credatur.

Ita Deus *abstracte* et *simpliciter* appellatur sapientia, bonitas, veritas, justitia etc., quae attributa substantiam spiritalem et simplicissimam indicant atque praedicant.

Hanc veritatem tradunt Patres. Origines Periarchon lib. 1. c. 1.° = Non ergo aut corpus aliquod aut in corpore putandus est Deus: sed intellectualis natura et simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens.... ut sit ex omni parte *monas*, et totus mens etc. = Ambrosius de Fid. lib. 1. c. 7.° = Deus naturae simplicis est, non conjunctae atque compositae, cui nihil accedat. Sic Fulgentius de fid ad Petr. c. 3.° Nazianzenus or. 34. ipsique philosophi etnici, ut Plato, Plotinus ap. Petav. lib. 2.° etc.

Dei simplicitas rursus evinci potest ex Dei excellentia, quandoquidem *simplex* composito longe praestantius esse constet. Sic arguit Bernardus de Cons. lib. 5. c. 7.° Evincitur ex Dei aeternitate, aeternum enim unum esse debet; jam vero primum, compositum esse nequit; namque duo vel tria illa precederent, quibus componeretur. Sic Ambrosius in symb. c. 1.° Evincitur ex pulcherrima definitione Dei, quam exibet Anselmus = Deus est quo nihil melius aut majus cogitari potest =; quod partibus constat, quod actu vel potentia etc. coalescit, non est melius, ut ex se patet, ergo etc. Denique evincitur ex eo quod Deus est a se, sibique sufficit: si Deus compositus esset, iis indigeret, quibus componetur, et idcirco non esset sibi sufficiens. Cyrillus Alexandrinus dial. I.° de Trin. Alia plura argumenta videri possunt apud philosohos; et S. Thomam loc. cit. et contra Gentes lib. I.° c. 18 etc.

Hoc dogma definivit Lateranense c. *Firmiter* = Una essentia, substantia seu natura simplex *omnino* = In Deo igitur nulla est corporis, vel generis, vel speciei, vel actus, vel potentiae, substantiae, vel formae, vel accidentis compositio. = Deus (aït Bernardus loc. cit.) enim unus, non unitus est, non partibus constat, ut corpus, non affectibus distat, ut anima, non formis substat, ut omne quod factum est.... Deus est totus sibi, semper idem, totus intellectus, totus actus, nihil in se habet, nisi se =. Difficultates, quae peti solent ex divinis Scripturis; quae Deo tribuunt oculos, manus, etc., poenitentiam, dolorem etc. facile solvuntur: haec enim *metaphorice* dicuntur, non *proprie*. Quod vero attinet ad illos Patres, qui Deum dixerunt corpus, ut Melito Sardensis, Tertullianus etc. respondemus: paucissimi sunt, et fortassis nomine corporis intelligebant substantiam vere existentem.

D. 2.ae p. In Deo quaelibet compositio neganda est: at quo pacto perfectissima Dei simplicitas cum trinitate personarum componi poterit? Comunis est Patrum theologorumque responsio: Deus = Trinitas compositus non est, quoniam unica est substantia in tribus personis, quae substantia nullam partitionem patitur sed *tota est in totis* et *in unaquaque tota*. Secundum personarum proprietatem, inquit Basilius de Sp. S., unus et unus est: at secundum naturae comunitatem unum sunt ambo. Neque enim Trinitatis tertia pars et unus, nec major pars Deo quam unus, est ibi, nec majus aliquid sunt omnes singuli, quam singuli, ut egregie disputat Augustinus contra Maximinum lib. I.° c. 10.

Re sane vera; substantia et persona res una sunt, non duae, neque alia est distinctio quam mentis. Nulla igitur haberi potest in Deo compositio, cum nihil varium aut diversum inveniatur; distinguuntur quidem proprietates personales, sed non sunt essentiae partes, adeoque conflari non possunt.

Denique animadvertendum est, singulas divinas personas totam eamdemque possidere substantiam, cum omnibus suis proprietatibus: cum igitur unicuique nihil desit, nulla concipi potest compositio. Haec veritas illustrari potest comparatione animae, quae licet intellectu, voluntate etc. praedita sit, partibus tamen omnino caret.

Tantum abest, ut distinctio personarum, Dei simplicitatem evertat, ut eam potius, si ita loqui fas est, augeat. Hoc docuerunt Athanasius, Damascenus et alii (apud Petav. lib. 2.° c. 4.°)

Thes. XI. Proposito multiplici distinctionis genere in scholis recepto, affirmamus 1.° Inter Deum ejusque attributa, et inter ipsa attributa nullam esse realem distinctionem 2.° Admitti debere cum patribus certantibus contra Anomaeos distinctionem cogitationis. *Χατα επινοιαν*: unde omnia, quae de Deo praedicantur nomina, non sunt synonima, cum singulis attributis distinctae respondeant notiones.

D. 1. p. Cum de divinitate loquimur plures ob oculos haberi debent distinctiones I.a distinctio quae dicitur *realis*, et in ipsa re existit. 2.a distinctio *cogitationis*, qua rem mente tantum distinguimus, quaeque duplex esse potest: una vocatur rationis *ratiocinantis*, et in re nullum habet fundamentum, altera rationis *ratiocinatae*, et in objecto aliquod habet fundamentum. Alias distin-

tiones potius ad exercenda quam illustranda ingenia invectas seponimus. (Frassen, Scotus Accad. tract. I.°)

D. 2. p. Inter Deum et ejus attributa nulla est *realis* distinctio, quod asserere ausi sunt Gilbertus Porretanus et Palamitae. Sane: semel concessa *reali* distinctione inter substantiam divinam et attributa, actum esset de Dei simplicitate: haberetur enim in Deo aliquid varium et diversum, et substantia divideretur, ait Nyssenus, quod absurdum est.

Rursus: si natura divina a proprietatibus *realiter* differret, jam non amplius dici posset bonus, sapiens, sanctus etc. quoniam aliud esset natura, et aliud bonitas, sapientia, sanctitas (Basil. Ep. 141). Ad rem praeclare Joannes Damascenus de Fid. l. I. c. 12. = Si increatum, ingenitum, incorporeum, immortale, sempiternum, bonum,... et alia dicamus esse *substantiales* (idest *reales*) differentias Dei, tot ille rebus conflatus simplex non erit.

Praeterea Patrès appellant Trinitatem unum Deum, unam dominationem, increatam naturam (Basil. Epiph.). Deum bonitatem et sapientiam vocant, itemque de singulis Trinitatis personis: perspicuum est igitur attributa et personas et substantiam vicissim commutari, quod fieri non posset si distinctio realis intercederet. Unde Augustinus Epistola 224. = Tene inconcussa fide, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, esse Trinitatem, unum Deum, non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas, sed quod sit ipsa ineffabilis et inseparabilis Trinitas =. Quaelibet igitur persona divina, quodlibet attributum, *realiter* est ipsa substantia divina, ut ostendit S. Bernardus contra Gilbertum. Insuper, si

realis datur distinctio inter substantiam etc. et attributa, haec attributa vel sunt alia substantia, vel accidentia; neutrum autem concedi potest, ergo etc.

D. 3.^{ae} p. Etsi Deus simplicissimus sit, omnisque compositionis expers, tamen quia unica sua essentia quidquid perfectionis est continet, scribit Petavius, et mens nostra ob suam imbecillitatem tam immensam et infinitam varietatem uno actu apprehendere non possit, necesse est, ut Deum saepius cogitando repetat, et minutatim, quae in Deo insunt, discurrat, adeoque concipiat essentiam Dei, ejusque bonitatem distinctis notionibus. Haec vero distinctio inter essentiam et attributa Dei, non est in ipsa Dei natura, sed in humana cogitatione: at nomina et notiones, quas concipimus in Deo quocumque carentne fundamento, et inter se permiscentur et confunduntur? Nequaquam. Infinita enim natura adeo faecunda et perfecta est, ut, una in se remanente, singulis distinctisque notionibus nostris respondeat; et probamus:

Sacrae Litterae et majores nostri variis nominibus variisque attributis Deum exhibent et idcirco varias de Deo notiones nobis ingerere volunt, ne dicamus verbis ludere: porro *realis* distinctio proscribitur, ut effecimus; ergo admittenda distinctio mentis vel cogitationis. = Qui ridiculum non est si quis procreandi vim ipsam esse dicat essentiam? etc. (Basilius) =. Non sunt igitur hae notiones confundendae, ut affirmabant Eunomiani, sed secundum rationem distinguendae.

Sublata distinctione cogitationis inter personas et essentiam, Trinitatis dogma negaretur: ergo rursus haec cogitationis distinctio confirmatur.

Hanc veritatem inter patres Basilius, inter theologos S. Thomas prae caeteris illustrarunt. 1.ª 1.ªᵉ q. XIII. a. IV.

= Intellectus noster cum cognoscat Deum ex creaturis format ad intelligendum Deum conceptiones proportionatas perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas: quae quidem perfectiones in Deo praeexistunt *unite* et *simpliciter*, in creaturis vero recipiuntur *divise* et *multipliciter*... et ideo nomina Deo attributa, licet significent unam rem, tamen quia significant eam sub rationibus multis et diversis, non sunt synonima. = Patet igitur omnia attributa in Deo summa unitate contineri: sed quod in Deo est summe unum, singulis humanae mentis conceptionibus ita respondet, ut notiones ipsae una in altera involvi nequeant, sed distinctae permaneant, et in ipsa divina essentia suum habeant fundamentum....

Neque illud ommittendum in hac satis difficili disquisitione, non modo cogitatione distingui *attributa* ab *essentia*, et *attributa* inter se et *personas ab essentia*, sed maiorem etiam dari distinctionem inter personas et essentiam quam inter *attributa* et *essentiam*. (Vid. Thom. in Sent. 1. 2. d. II. q. I.ª ac 3. Petav. lib. 1. cc. 9. 10. 11. de Deo).

Thes. XII.ª Sanctarum Litterarum testimoniis, Patrum auctoritate, certaque ratione Dei immutabilitas demonstratur.

D. Iªᵉ p. Mutatio proprie significat transitum ab uno ad alterum statum, sive id contingat quoad substantiam, sive quoad formam, accidentia, vel locum, vel tempus. Immutabilitas e contra significat omnimodam aequalitatem, ita ut res semper eadem eodemque modo, quocunque sub respectu, existat.

Hujusmodi *immutabilitatem* Deo simpliciter tribuunt divina eloquia. Iac. 1 XVII. = Apud quem (Deum) non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio = Psalm. 101. 26. Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient. = Malachia III. 6. Ego Dominus et non mutor. Cf. N. XXIII. 19. Sap. VII.° 27. Isa. XLVI. etc. Aliis, aliisque scripturarum oraculis disertissime Deus dicitur *absolute* immutabilis, nullique vel loci vel substantiae, vel temporis, vel cogitationis mutationi obnoxius. = Est itaque, sic Augustinus, bonum solum, simplex et ob hoc solum *incommutabile* quod est Deus. (Civit Dei l. XI c. X) Et Arnobius lib. 7 = Divinitas *immutabilis* perseverat, nihil in se ex accidente aliquid recipit, hoc est enim hodie quod semper fuit = Vide etiam Cyrillum Alexandrinum in Ioanne. lib. 4 Novatianum de Trin, c. IV. Damascenum et Nicenam synodum in definitione contra Arium etc.

Caeterum hoc doctrinae caput etiam sola ratione evidentissime demonstratur. Etenim Deus est prima substantia, adeoque totus actus, absque ulla potentiae permixtione, quia potentia est actu posterior: Deus igitur qui est prima substantia semperque purissimus actus, immutabilis esse debet. (S. Th. I. 1. q. IX a 1.)

Adde: vel Deus in melius, vel in deterius mutaretur; non potest mutari in melius, quia nil ipso melius; neque in deterius, quia, ait Eusebius Caesariensis, nemo se deteriorem sponte facit.

Ille *qui est* (*ο ων* (non mutatur, quia neque aliquid e novo eidem accedere possit, secus non esset *qui est;* neque amittere, siquidem desineret esse *qui est,* quod absurdum et contradictorium implicaret. Denique idipsum comprobatur ex plenitudine perfectionis, ex sim-

plicitate, ex aeternitate divinae essentiae ut videre est apud Lessium de divinis perfectionibus lib. 3. cap. 1 seq.

Th. XIII[a] Deus est *absolute infinitus.*

Animadvertendum est, non apud omnes theologos, eamdem esse hujus vocabuli significationem. Quidam arbitrantur, infinitum id esse quod a se est: alii putant esse id, quod limitibus circumscribi non potest, vel quemcumque finitum numerum perfectionum excludit. Videtur ceteris Francisci Suarez praeferenda sententia (lib. 2 c. 1 de Deo) qui docet, infinitatem esse plenitudinem perfectionum Dei, quae comprehendi nequit, et cujuscumque termini negationem. Hoc sensu infinitas, neque cum *aseitate,* neque cum immensitate confunditur, ipsamque Dei substantiam respicit.

D. Legimus in Ps. 144. 3 = Magnitudinis ejus non est finis = Baruch. III. = Magnus et non habet finem = quae locutiones amplissimae plenitudinem omnium perfectionum Deo tribuunt, et quamlibet circumscriptionem eliminant. = Deus est infinitus, dicit Damascenus l. I. c. 4, aeternus, et incircumscriptibilis = Nec magnitudine (Deus) concluditur, ait Gregorius Nazianzenus, nec finibus cohibetur = Vide Theodoretum ser. 2. de Providentia, symbolum Athanasianum, Later IV. cap. *Firmiter* etc.

Accedit ipsa ratio philosophica: Deus est id quo nil melius cogitari potest, ut supra diximus: porro si Deus non esset infinitus, aliquid ipso melius cogitari posset, ergo etc.

Deus est *primum ens,* adeoque est a se, atque necessarium; non potest igitur circumscribi neque a seipso, neque ab alio: propterea quod, neque ipse sibi esse

dedit, neque ab alio accepit, ut limitibus concludatur, ergo. Postremo ex supra dictis Deus est *ipsum esse*: at, quod est *ipsum esse* minime circumscribi potest; in eo enim, quo circumscriberetur, non *esse* sed *minus esse* foret; ergo. (Conf. S. Thom. 1. 1 q. VII. a 1. seq.)

Opp. Si Deus infinitus esset, plura sequerentur absurda: et 1. Creatarum naturarum impossibilis esset existentia; vel 2. in ipsa divina natura omnia comprehenderentur, et 3. omnia ex aequo a divinitate distarent.

R. Ad. I. Deus non est *infinitus ad instar corporum* et *extentione* et *quantitate,* sed *intensive*, ut ajunt, et prouti ipsum decet. Ad 2. Omnia in Deo continentur tamquam in causa *archetypa* et *effectrice eminenter,* non *formaliter*. Ad 3. Omnes creaturae ex aequo Deo distant, si consideretur divina perfectio, concedo: si consideretur perfectionis gradus, nego.

Thes. XIV. Germana aeternitatis notione statuta, ostendimus, eam soli Deo competere.

D. 1.ae Immutabilitatis socia et comes est aeternitas, ut observat S. Thomas; motus enim et defectus aeternitati repugnant.

Varia est hujus vocabuli *aeternitatis* potestas, tum in Scripturis, tum apud Patres. Æternitas modo sumitur pro temporis diuturna duratione; modo pro duratione futura perpetua, sed quae initium habuit etc.; alias significationes omitto.

Æternitas sensu presso, quo in praesenti sumimus, cum Boetio et S. Thoma caeterisque theologis, definiri solet = Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio = In hac definitione haec tria continentur. 1° Negatio principii 2° Negatio termini. 3° Negatio suc-

cessionis; quae ad veram aeternitatis notionem constituendam necessaria et sufficentia videntur, ut egregie demonstrat S. Thomas 1 1 q. X. a. 1. Illud ergo aeternum est, quod principio et fine caret, et successionibus aut mutationibus obnoxium non est, semperque idem eademque ratione se habet.

D. 2ª p. Ps. 89. 2 = Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus = Isa. = L. 1. 1. Ego primus, ego novissimus etc. = Ps. 101. 26. Ad Hebraeos 1, 10, 11 c. Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient. = 1. ad Tim. VI. 16 = Qui solus habet immortalitatem = Ex his locis colligimus *a*) Deum esse ante rerum universitatem, *b*) semper futurum esse, *c*) numquam defecturum, *d*) semperque eundem, quae omnia aeternitatis ideam constituent. Superfluum est Patrum testimonia proferre, quae Petavius satis longa serie collegit (lib. III. cap. IV. et seq.); ex quibus duos tantum afferemus, unum orientalem, alterum occidentalem. Nazianzenus orat. 38 = Deus semper erat, et est, et erit, vel potius semper est; nam erat et erit hujus temporis, fluxae et caducae naturae segmenta sunt. = Augustinus Confess. lib. IX. c. 10. = Ipsa (divinitas) non fit, sed sic est ut fuit, et sic erit semper, cum potius fuisse et futurum esse non est in ea, sed esse solum, quoniam aeternus est: nam fuisse et futurum esse non est aeternum.... in aeterno totum esse praesens, nihil praeterire etc. = (Confer Tertull. contra Hermog. c. 4. Nyssen. contra Eunom. Petrum Dam. opusc. 36). Adde: Deus est prima substantia, atque adeo est a se: Deus igitur est quia est, et mutari non

potest, neque a se ipso, neque ab aliis, quae ab ipso habent ut sint; ergo aeternus est.

Confirmatur iisdem argumentis, quibus supra Dei simplicitatem, et immutabilitatem ostendimus etc.

Non est silentio praetereundum, Patres docuisse, Dei aeternitatem ipsam esse Dei substantiam. Augustinus scribit: = Non aliud anni Dei, et aliud ipse Deus; sed anni Dei aeternitas est; aeternitas ipsa Dei substantia, quae nihil habet mutabile. =

Scolion: Nullum fortassis est attributum divinum, quod mentem humanam magis percellat, et Dei *aseitatem*, ut ajunt, vividius repraesentet.

Coroll. I. Refelluntur Graeci Palamitae, qui imaginantur nescio quam lucem aeternam, ab ipsa Dei substantia emanantem, ab eaque distinctam, non creatam, aeternam, quaeque regnum Dei est etc.

Coroll. II. Liquidum est, Deum non posse aliquid aeternum facere; hoc enim repugnat; ut facile quisque intelligere potest.

Th. XV° Item tenendum est, ita Deum *immensum* esse, ut non virtute tantum, sed ipsa sua *essentia* rebus omnibus quam praesentissimus sit.

D. Immensitas Dei cum ipsius infinitate non est confundenda: sicut infinitas significat *negationem termini* in ipsa Dei substantia, ejusque perfectionibus, ita immensitas *negat* terminum *divinæ praesentiae;* ejusque praesentiam *substantialem* in rebus creatis, et quae creari possunt, affirmat.

Praesentia Dei in rebus creatis, si proprie loqui velimus, non est *immensitas,* sed potius *effectus immensitatis,* et rectius *ubiquitas* diceretur: haec praesentia

non est Deo necessaria, sed ab ipothesi creationis pendet: e contra immensitas Deo necessario inest, et nil aliud est, quam *Essentia Dei eadem ratione permanens, non circumscripta*, sed *tota in tota praesens*, quae vera immensitatis notio videtur.

Vorstius, Eugubinus, veteres stoici, Valentiniani, aliique haeretici, Deum ubique praesentem esse *sola cognitione* et *virtute*, ut sol luce et calore totam illuminat et fovet terram, minime vero ipsa sua substantia, quae est haeresis manifesta, ut notat Petavius.

D. Legimus Jer. XXIII. 24 = Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum, dicit Dominus (en praesentia cognitionis)? Numquid non caelum et terram ego impleo (praesentia substantialis)? = Psalmus 13, 7. Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum etc. Confer. Reg. III. VIII. 27. Iob. XI. 8 Deut. IV 39. Sap. 1. etc. et Paulus Act. XVII. 27, 28. docet, Deum *non esse longe ab unoquoque nostrum* = in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.

Majores nostri hoc fidei dogma luculentissime tradiderunt, et opportunis etiam similitudinibus expoliverunt. Augustinus Epis. 57 ad rem nostram = Deus substantialiter ubique diffusus, unde fatendum est, ubique esse Deum per divinitatis praesentiam = Chrysostomus apud Petavium lib. 3. c. 8 = (Deus) non tanquam aliquis in coelo conclusus eminus videt, quae sunt in terris, sed ubique praesens, et omnibus adsistens = Ilarius l. I. de Sp. S. = Deus nec circumscribitur, nec tenetur, quia per naturae suae virtutem ubique est, neque usquam abest, in omnibus omnis exuberans.

Conf. Ambrosium de fid. c. 4. Anastasium Sinait. Confer Contemp. 2. etc. Observant theologi et Patres, ut Sinaita, Basilius etc. Dei scientiam atque potentiam, qua omnia creantur et servantur, ab ipsa Dei substantia *realiter* non distingui, multo minus separari: quare sicut Deus scientia et potentia ubique est, ita quidquid est Deus ubique et semper est.

Praeterea: si Deus immensus non esset, ipsius substantia circumscripta foret: imo Deus a loco ad locum moveri posset, et res creatae plus minusve Deo propinquae evaderent: neque Deus esset primum ens, sed aliquid majus et perfectius cogitari posset etc, quae omnia citra absurditatem affirmari nequeunt. Concludamus itaque cum Maximo martyre Dialog. de Trin. = Pater, Filius et Sp. S. *substantia* (*ουσια*) *virtute*, (*δυναμει*) et gloria (*δοξα*) ubique, et in omnibus, et per omnia sunt = S. Thomas 1. 1. q. 8 a. 6. Patrum vestigiis insistens, ostendit, Deum ubique praesentem esse per *essentiam*, per *potentiam*, et *presentiam*: Confer tres alios ejusdem quaestionis articulos. Deus autem in omnibus praesens est ipsa sua *essentia*, non ut corpus in loco, *sicut aer*, aut *lux ipsa* diffunditur (Augustinus) sed ubique *totus, et totus in toto, totus in singulis* (Ambrosius) *forinsecus* et *intrinsecus*, *inter omnia, extra omnia, praeter omnia, intra omnia, super omnia, infra, omnia implet, omnia excedit, omnia comprehendit, ambit, continet, claudit constringit* (Hieronimus, Augustinus, Petrus Damianus etc) *et omnia illustrans et penetrans, non faedatur, sicut sol turpia illuminans, nihil maculae contrahit* etc.

Patres qui asserere videntur, Deum non esse im-

mensum, non esse in rebus omnibus, non omnia penetrare etc. facile intelligi possunt. Patres enim iis aliisque similibus locutionibus non negant *immensitatem*, sed *extentionem* divinae *substantiae localem, corpoream, circumscriptam,* ut etnici philosophi, et rudiores Christiani comminiscebantur.

CAPUT QUINTUM

De attributis seu proprietatibus affirmantibus.

Thes. XVI. In Deo vera et perfectissima scientia admitti debet, quae est ipsa Dei substantia, adeoque seipsum perfecte comprehendit.

D. Beatus Job cap. 28. Dei sapientiam describens, concludit = Deus intelligit viam ejus, et ipse novit locum ejus: ipse enim fines mundi intuetur, et omnia quae sub coelis sunt, respicit = Cap. XII. 13 = Apud ipsum est sapientia,.. ipse habet consilium et intelligentiam = Cap. ult. v. 2° Scio quia omnia potes et nulla te latet cogitatio = Psal. 145 = Et sapientiae ejus non est numerus = Reg. I. II. 3. Sapient. VII. 15. Prov. XXIV. Rom. XI. 33. etc. His testimoniis simul comparatis, perspicuum est 1° Deo scientiam esse tribuendam, et eandem infinitam. 2° quae ad omnia se protendat, et etiam ad humanae mentis cogitationes.

Si quis Patrum testimonia, quae in re tam clara omittimus, videre desiderat, Petavium adeat l. IV. c. 1. etc.

Dei scientia ipso naturalis rationis lumine evidenter ostendi potest. Nam hoc probatur ex excellentia divinae

naturae, ex ejusdem simplicitate, ex creatis rebus, ex ordine, quo res omnes gubernantur, ex scientia hominum etc.

Quibus omissis, praestat animadvertere 1° scientiam Dei non esse *potentia* aliqua *permixtam* sed *actualissimam* 2° non *successivam*, sed *immanentem*, non *vagam* aut *incertam*, sed *certissimam* et *determinatam*, erroris *expertem*, non *contingentem*, sed *necessariam*, *immutabilem*, quae dotes ex ipsa Dei notione supra statuta sponte sua scaturiunt 3° In Deo non esse *memoriam* proprie dictam admittendam, neque deliberationem, vel consilium, vel ratiocinationem, vel imaginationem etc. quae sunt totidem verae scientiae imperfectiones.

D. 2ae p. Scientia Dei est ipsa Dei substantia a qua nonnisi mentaliter distinguitur. Sane: in Deo quidquid est Deus est, ne ipsum compositum dicamus, ergo scientia Dei est ipse Deus.

S. Thomas 1. 1. q. XIV a. 4. ita arguit = Si intelligere Dei esset aliud quam ejus substantia, oporteret, quod aliquid aliud esset actus, et perfectio substantiae divinae, ad quod se haberet substantia divina, sicut potentia ad actum, quod est omnino impossibile: nam intelligere est perfectio et actus intelligentis..... Intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in operante, sicut actus et perfectio ejus, prouti esse est perfectio existentis. Sicut enim esse consequitur formam, ita intelligere sequitur speciem intelligibilem. In Deo autem non est forma, quae sit aliud quam suum esse... Unde cum ipse sua essentia sit etiam species intelligibilis, ex necessitate sequitur, quod ipsum ejus intelligere

sit ejus essentia, et ejus esse .... Et sic patet ..... quod in Deo intellectus intelligens, et id quod intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere sunt omnino unum et idem. =

Augustinus de Trinitate C. XV c. 13. = Non aliud esse, aliud intelligere = Cyrillus Alexandrinus Thes. = Si Deus aliud quidem est, et alla ac diversa est ab eo quae inest ipsi cognitio, compositus erit non simplex = Vid. Damascenum de Fide lib. 1, c. 17. 18. Ioannem. Cypari-siotam ex Maximo M. Cent. 1.ª etc.

Indubitatum est igitur, scientiam Dei ipsam esse Dei substantiam.

D. 3.ae p. Hoc alterum propositionis membrum ex dictis luculenter colligitur:

= Sacrae Scripturae soepe soepius affirmant, Deum esse ipsam sapientiam, spiritum, scrutari profunda Dei, cognoscere quae sunt Dei, ipsi omnia nuda et aperta esse etc. etc. quae nequeunt aliter intelligi, quam de plenissima sui ipsius comprehensione.

Adde: divina substantia est tota scientia, cum nulla sit substantiam inter et scientiam realis distinctio; tanta igitur est divina scientia quanta et divina substantia; ergo.

Si Deus seipsum non comprehenderet, aliquid in Deo ignotum foret, et propterea imperfectus evaderet ipse Deus, quod absurdum est.

Quidquid est ab aliquo cognosci debet: repugnat enim aliquid existere, et nulli compertum esse; jam vero, si Deus seipsum non comprehenderet, multo magis a nulla creata intelligentia comprehendi poterit, quae id solum cognoscere potest, quod Deus eidem impertitur; ergo aliquid

esset omnibus ignotum, atque adeo supra ipsum Deum, quod a sana ratione penitus abhorret. S. Thomas 1. p. q. XIV. a. 3°. hoc ipsum adstruit ex eo quod = Unumquodque cognoscibile est secundum modum sui actus. Non enim cognoscitur aliquis secundum quod est in potentia, sed secundum quod est in actu... tanta est autem virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo: quia per hoc, quod actu est, et ab omni materia et potentia separatus, Deus cognoscitivus est... Unde manifestum est, quod tantum cognoscibilis est, et propter hoc seipsum perfecte cognoscit. =

Coroll. I.m Inde consequens fit, ut objectum *proprium, necessarium* et *formale* scientiae divinae, est ipsa Dei essentia, quae tota exhauritur, et ideo nullo extra Deum objecto indigere potest, circa quod versetur, et perficiatur.

Coroll. II.m Ergo res omnes creatae nullo modo objectum *proprium, necessarium, formale* divinae scientiae constituere possunt, sed *liberum, per accidens* etc.

Scolion. Theologi potissimum thomistae, scientiam Dei ita partiti sunt, ut aliam dicerent scientiam *simplicis intelligentiae*, qua Deus res possibiles cognoscit, nec non et res futuras, quas tamen ut tantum possibiles contemplatur: aliam vero appellarunt scientiam *visionis*, qua res quocumque modo et tempore *futuras* intelligit. Serius vero alia distinctio addita fuit, quae *media* nuncupatur, qua Deus res futuras, *nunquam* tamen *futuras*, novit.

Scolion 2. Deus seipsum absque ulla re vel specie, vel forma cognoscit et comprehendit, quandoquidem

Dei simplicitas ejusque plena sufficientia id necessario postulant, et quodlibet intermedium evidenter repugnat.

Thes. XIX. Statuimus 1.° quod Deus perfectissime omnia cognoscit, non ut *caussam determinantem* scientiae suae, sed ut sunt *eminenter* in ipsa sua essentia. 2.° Quod ea *distincte* et *singillatim* cognoscit, ut sunt in seipsis *formaliter.*

D. Hucusque scientiam Dei prae ipso Deo consideravimus; restat, ut eam prae rebus creatis, vel possibilibus spectemus.

Procul dubio omnia quae sunt extra suam substantiam Deus perfectissime cognoscit.

In re tam clara non est cur Scripturarum et Patrum testimonia proferamus et enarremus. Confer Prov. VIII. 27. Sap. VII. 21, etc. Quibus sepositis, argumentamur 1° sicut substantia, ita et scientia Dei augeri non potest, aut perfici: Deus igitur omnia cognoscit, secus perfici posset. 2° S. Thomas 1. 1. q. XIV. a. 5. praeclare ita disserit = Manifestum est quod (Deus) scipsum perfecte intelligit, alioquin suum esse non est perfectum, cum suum esse sit suum intelligere. Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est quod virtus ejus perfecte cognoscatur. Virtus autem alicuius rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quae virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendit ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, necesse est quod Deus alia a se cognoscat. = Deinde idem alia ratione ostendit cum = quicumque effectus praeexistunt in Deo sicut in causa prima, necesse est quod sint in ipso

ejus intelligere, et quod omnia in Deo sint secundum modum intelligibilem. Nam omne quod est in altero, est in eo secundum modum ejus in quo est. = Quae pulcherrima Thomae demonstratio sic commode exponi potest. = Tum aliquid perfecte cognoscitur, cum etiam ea omnia cognoscnntur, quae facere potest: atqui Deus creata omnia facere potest: ergo creata omnia perfecte cognoscit. Rursus: omnia quae fiunt in factoris mente necessario praeexistunt: atqui creata omnia a Deo facta sunt: ergo in mente Dei praeexistunt, et perfecte a Deo cognoscuntur.

Verum hic quaeri potest: haec Dei scientia unde proficiscitur? Ex ipsa divina essentia, vel potius ex rebus creatis, tanquam a causa determinante, originem ducunt? Certissimum est, hanc rerum omnium scientiam ab ipsis rebus tanquam a caussa determinante minime repetendam esse. Namque 1.° Deus a creaturis nihil accipere potest, ut perspicuum est: porro si scientia Dei a creaturis produceretur, Deus aliquid a creaturis acciperet: ergo. 2.° Quidquid in Deo est, aeternum est atque immutabile: fas igitur non est suspicari, Deum quidquam a rebus temporalibus, et mutabilibus accipere. 3.° Confirmatur doctrina Thomae supra exposita: quae enim extra Deum existunt, eatenus existunt, quatenus in scientia atque potentia divina praeexistunt; non igitur res caussae existimandae sunt scientiae divinae, sed potius scientia divina rerum causa habenda est, ut paullo post declarabimus. Itaque Deus, utamur verbis D. Thomae 1. 1. q. XIV a. 5. seipsum videt in seipso, quia seipsum videt per essentiam suam: alia autem a se videt, non in ipsis, sed in seipso, quatenus essen-

tia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. = Et Vulgatus Dionysius de Divinis Nominibus c. 7. = Non ex iis quae sunt, ea quae sunt addiscens novit divina mens, sed ex seipsà, et in seipsa, secundum eam scientiam, quae omnium est caussa... divina sapientia semetipsam cognoscens omnia cognoscit sine materia materiata.... Itaque Deus ea quae cognoscit non eorum scientia, sed suimetipsius cognoscit.

(Confer Ambrosium de Symb. c. 1.° Augustinum de civit. Dei, l. XI c. 7. de Trinit. l. 6. c. 10 etc.)

Verum nullnmne est discrimen inter cognitionem, qua Deus seipsum comprehendit, et cognitionem, qua res omnes intelligit? Aliqua est secundum mentem distinctio. = Semetipsum enim cognoscit Deus ex beata sua substantia; quae vero ab ipso producta sunt, ex sapientia sua, per quam, et in qua omnia fecit (Maximus Martyr); quatenus nempe proprias voluntates cognoscit, easque implere statuit. Scholae autem dicebant, Deum haec omnia in suis decretis cognoscere, quod in idem recidit.

D. 2.ae p. Deus omnia cognoscit, non solum in *genere* sed *singillatim*, et prouti in seipsis existunt. Hanc Dei scientiam Litterae sacrae stabiliunt. Nam in Gen. 1. Deus in ipsa rerum omnium molitione singula opera contemplatur, eaque bona cognoscit, et sex dierum expolitione peracta, Moyses concludit = Viditque Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona = quae ratio loquendi distinctam rerum omnium creatarum notionem significat. Psal. 49. 10. = Meae sunferae silvarum, jumenta in montibus, et boves. Cognovi omnia volatilia coeli. = Confer Eccles. 1. 2. 3. sequ. et Iob. XXVIII.

Psal. 138. ad Haebreos IV. 13. = Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus = Ester XIV. 14. Matt. X. 19. etc. etc. Quibus omnibus locis scientia Dei effertur ut ea, quae omnia cognoscat, etiam occulta cordium, quaeque omnia scrutatur, avibus coeli, et liliis agri prospiciat etc. etc. Nihil igitur quae facta sunt Deum latet, sed cuncta non in *genere*, sed *distincte* et *singillatim* intuetur.

Inter Patres digni sunt qui recenseantur Cyrillus Alexandrinus Thes. l. 15. c. 11. Cyrillus Hierosolimitanus Cath. 6., Augustinus, de civit. Dei l. XII. c. 18. et Hilarius in Psal. 137. qui scribit = Superbae et insolentes cogitationes Deum non fallunt. Agnovit enim omnia, et nihil scientiae ejus est impenetrabile. =

Accedat ipsa naturalis ratio = Res omnes quae existunt cognoscibiles sunt eo ipso quo existunt. Deus igitur eas cognoscere debet, ne dicamus in Deo defectum cadere posse. 2. Dei scientia augeri nequit: verum si Deus res omnes *distincte* non cognosceret, augeri posset: ergo. 3. Res distinctae existunt, ut quisque videt: sed ideo distinctae existunt, quia Deus eas distinctas esse voluit et fecit. Ergo Deus singulas creaturas distincta propriaque cognitione novit. Vide hac de re Thomam 1. q. XIV. a VI. et X. qui contrariam doctrinam data opera refellit.

Scolion. Quomodo malum Deus agnoscere potest? Non in seipso tanquam in causa *efficiente*, cum Deus caussa mali esse nequeat: non idea, quia malum non est quid extra Deum *realiter* existens. Malum cognoscit Deus, ut ita dicamus, ex *obliquo*, videlicet ex *boni pri-*

vatione = Est cognoscibile unumquodque (sic Thomas 1. 1. q. XIV. a 10). secundum quod est; unde cum sit esse mali, quod est *privatio boni*, per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae = Quod jam antea et Augustinus, et vulgatus Dionysius tradiderant. Quapropter in Deo malum non est, quia malum ex se non est, et in Deo neque ut in caussa *exemplari*, neque ut in *caussa efficiente* continetur.

Coroll. I.^{m} Falluntur igitur illi theologi, qui putant malum in Deo, neque in ipsius praescientia contineri, quia Deus malum non probat.

Coroll. 2^{m} Ex supra disputatis patet discrimen inter humanam et divinam rerum scientiam: homines res ideo cognoscunt quia sunt, et ideo sunt quia Deus eas cognovit: Deus autem res cognoscit antequam sint, et ideo sunt, quia eas cognovit.

Coroll. 3^{m} Deus non a longe res cognoscit, sed intus, quatenus ipsa sua substantia iisdem semper adest, *suaque virtute* portat.

Coroll. 4^{m} Scientia Dei, utpote creatoris, ipsam rerum essentiam comprehendit et permeat: scientia autem humana, cum non sit rerum effectrix, essentiam rerum penetrare non potest, et idcirco rerum faciem inspicit, et plus minusve semper *imperfecta* et *obscura* dici debet.

Th. XX. Quae ad Dei scientiam spectant absolventes, tuemur. 1° Scientia Dei, saltem sensu *inadaequato* est rerum omnium *efficiens caussa.* 2° Deus possibilia omnia cognoscit. 3° Cognoscit futura omnia, sive quae *necessaria,* sive quae *libera* dicuntur. 4° Cognoscit futura *conditionata*, seu quae *futura non sunt*, sed tamen

futura essent, si conditio impleretur. Haec futurorum omnium certissima Dei cognitio humanae libertati minime officit.

D. I.ae p. Scientia divina duplici ratione rerum creatarum caussa efficiens esse potest 1° Quatenus scientia Dei *immediate* et per se omnia efficit, et dicitur causa *adaequate formalis* 2° Quatenus, non ipsa scientia *immediate* res efficit, sed *voluntati* et *potentiae* praelucet, easque dirigit, et caussa rerum *inadaequata* appellatur. (Suarez de Deo lib. 3 c. 9). Prima sententia theologis Thomisticae scholae arrisisse videtur, altera vero potissimum Jesuitis probatur. Quidquid sit, indubitatum est, Dei scientiam caussam esse efficientem rerum omnium, sin minus *adaequate*, certe saltem *inadaequate*, sensu supra exposito. Legimus apud Jerem. x. 12. Praepa rat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit coelos = Prov. VIII. 27 seq. ipsa Sapientia loquitur = Quando praeparabat coelos aderam, quando certa lege et gyro vallabat abyssos, etc. cum eo eram cuncta componens = Psal. 103, 24 = Omnia in sapientia fecisti = Sapientia dicitur artifex omnium etc. Ex quibus testimoniis evidenter deducitur, sapientiam vel scientiam Dei rerum esse caussam.

Prestat, Patribus omissis, verba D. Thomae recolere 1, 1, q. X a. 8 = Scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Scientia autem artificis est caussa artificiatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum. Unde oportet quod forma intellectus sit principium operationis, sicut calor est principium calefactionis. Sed considerandum est, quod forma naturalis in quantum est forma

manens in eo, qui dat ese, non nominat principium actionis, sed secundum quod habet inclinationem ad effectum: et similiter forma intelligibilis non nominat principium actionis secundum quod est tantum in intelligente, nisi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quae est per voluntatem. Cum enim forma intelligibilis ad opposita se habeat, cum sit eadem scientia oppositorum, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum.... Manifestum est autem quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere: unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde scientia Dei secundum quod est causa rerum consuevit nominari scientia approbationis. = Nihil lucidius desiderari potest. Vide etiam Augustinum de Trinitate l. 5 c. 13, de civitate l. XI. et praesertim Anselmum monol. c. 10. — Totum argumentum huc redit: nihil fieri potest, quin scientia saltem *directrix* praeluceat: Deus autem universitatem rerum condidit; ergo scientia in hac rerum omnium molitione praelucere debuit, atque adeo scientia sensu jam supra explicato, est rerum causa efficiens.

D. 2^{ae} p. Deus *possibilia* omnia cognoscit. Enimvero Deus scientia sua semetipsum perfectissime cognoscit, seu comprehendit, ut supra diximus; et idcirco totam suam potentiam *absolute* cognoscit, et ea, quae ipsa sua potentia, si vellet, facere posset. Vide hac de re Thomam 1, 1, q. 10, aa. 9 et 12. Sanctus Doctor a. 9 distinguit quae sunt actu, quae sunt potentia vel Dei vel creaturae etc. et omnia cognoscit Deus, licet diversa ratione; quae fuerunt, vel erunt, Deus novit scientia

visionis; quae vero sunt in potentia vel Dei vel creaturae, quaeque tamen non fuerunt, nec sunt, nec erunt, Deus scientia simplicis intelligentiae cognoscit.

Praeterea Deus ea omnia cognoscere debet, quae aliqua ratione cognoscibilia sunt; sed possibilia, aliquo modo, scilicet in causa cognosci possunt, ergo etc. — Insuper; si ipsi homines possibilia aliqua ratione intelligunt, quis hanc scientiam Deo negare audebit, qui hominibus dedit, ut possibilia cognoscant? Hinc Libri sacri nos docent: = Qui (Deus) vocat ea quae non sunt tanquam ea, quae sunt (ad Romanos IV. 17.) = Ex quo oraculo deprehendimus, Deum nosse etiam, quae non sunt, sed quae esse possunt. Confer D. Thomam contra Gentes l. 1, c. 5 et 1, 1, q. 19 a, 6 ad 2m

D. IIIae p. Deus cognoscit etiam futura tum *necessaria*, tum *libera*.. Futura necessaria ea sunt, quae a causis necessario operantibus proficiscuntur: libera vero ea quae a causis voluntate et libertate ditatis profluunt.

Daniel XIII. 42 = Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. = Sapientiae VIII. 8, = Scit (Deus) praeterita et de futuris aestimat; signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum et saeculorum = Confer Deutoronomii XXXII. 34, ad Haebreos 4, 13 etc. Ergo omnia futura antequam fiant, nuda et aperta sunt oculis ejus.

Accedit: scientia Dei, ut nec minui, ita nec augeri potest: atqui si futura Deo explorata non essent, temporis processu ipsius scientia augeretur. = Ad haec: quoties de Deo loquimur, et *fuit* et *erit* verba sunt abolenda, ut supra ostensum est: quare si apud Deum nihil futurum est, sed omnia praesentia dici debent, li-

quet plenam futurorum omnium Deo asserendam esse scientiam.

Rursus: quae ex causis tum *liberis*, tum necessariis prodeunt, profecto in ipsis causis potentia continentur: at hanc potentiam creaturis omnibus solus Deus indidit: quidquid igitur in creaturis existit, sive actu sive potentia, est *virtualiter in Deo*, ait S. Thomas l. c. Ergo.

Imo observat idem Sanctus Doctor (1, 1, q. 14 a 13. = Omnia, quae sunt in tempore, sunt ab aeterno praesentia non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se praesentes.... sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno supra omnia prout sunt in sua praesentialitate. =

Denique veritas populorum omnium firmissima persuasione roboratur, qui oracula, vaticinia, divinationes habuerunt, preces fuderunt, etc. Vide Augustinum l. 2, ad Simplicianum, Origenem contra Celsum l. 6. Cyrillum Alexandrinum in Is. 1, 4 etc. Tertullianum contra Marcionem l. 11, c. 5 et Clementem Alexandrinum, qui hac similitudine utitur: — Quod in theatris usuvenit et in partibus cujusque inspiciendo, circumspiciendo, et simul aspiciendo, hoc ipsum et in Deo evenit. Nam simul confertimque omnia et particulatim singula applicatione una contemplatur. =

D. IV^{ae} p. Triplex est rerum ordo, quae divinae scientiae subjiciuntur: 1. Res *possibiles*, quae nunquam existent, quasque Deus cognoscit scientia *simplicis intelligentiæ*. 2. Res possibiles, quas suo tempore Deus vult, ut existant, et scientia *visionis cognoscit.* 3. Res, quae non existunt, neque unquam exstiturae sunt, quae tamen exstitissent, si quaedam conditiones impletae fuis-

sent, unde a theologis res *futuribiles nunquam futuribiles* dicuntur, et haec *scientia media* nuncupata fuit. Et si omnes theologi hujusmodi scientiam Deo asserant, non omnes hanc tertiam distinctionem concedunt, sed ad primam classem revocare conantur. Hisce domesticis dissidiis sepositis, dicimus, Deum etiam ea omnia, quae fieri poterant et debebant, quibusdam impletis conditionibus, quaeque non amplius fieri possunt, et veluti tertium locum tenent inter possibilia et absolute futura, cognoscere.

Hanc Dei scientiam probant sacrae Scripturae. 1. Reg. 23. 10, 11, 12 = Ait David... si tradent me viri Ceilae... in manus ejus (scilicet Saulis); et si descendat Saul..? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet etc... Surrexit ergo David et viri ejus quasi sexcenti et egressi de Ceila etc. = Item ex III. Reg. XI. 2. ex Sap. IV. 11 = Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus etc. Ex Math. XI. l. par. = Vae tibi, Corazaim, vae tibi Betzaida, quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes istae, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. = Proditio virorum Ceilae, descensus Saulis, lapsus innocentis, de quo in Sapientia, conversio Tyriorum et Sydoniorum res erant certo futurae, conditionibus expletis, sed numquam futurae ob conditiones non impletas, et Deo clarissime compertae. Ergo.

Confer Augustinum de correptione et gratia c. 8, Bernardum sermn. de Innoc., Nyssenum orat. pro infant., cujus verba sunt: = Est consentaneum ab illo, qui peraeque futurum novit ac praeteritum prohiberi parvuli progressionem ad perfectam aetatem, ne malum illud, quod

praesciens illa vis et facultas praenoverit in eo, qui victurus est, ita perficiatur, et ei, qui ex voluntate et arbitrio victurus fuisset, materia nequitiae vita fiat. = Sic etiam Gregorius Magnus etc.

Argumenta, quibus supra ostendimus, Deum omnia extra se cognoscere sive existentia sive mere possibilia, recolantur. Confer S. Thom. 1, 1, q. 14. aa 13, 14.

Scolion 1m Quis quaerere potest: omnia praeterita et futura suntne ex aequo praesentia? Et quomodo praesentia? = Hanc quaestionem proponit et solvit S. Thomas 1, 1, q. 14 a. 13, ubi docet: = Deus cognoscit omnia contingentia non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est in actu in seipso.... et ejus intuitus fertur ab aeterno super omnia. = Alii vero cum Augustino tenent, res Deo praesentes esse non realiter coexistentia, ut Thomas docet, sed quatenus Dei cognitioni objiciuntur, easque *noverat faciendas, non factas noverat ut faceret*, proindeque, quamvis notae essent, non tamen factae esse coeperunt. = Et Beda egregie: = Quod factum in tempore.... omne hoc in spiritali factoris ratione quasi semper vixerat et vivit, non quia coaeternum est creatori quod creavit, sed quia ab aeterno habuit et habet quid et quando crearet. =

Schol. 2. Patres, atque theologi docent, in Deo ideas rerum haberi *aeternas*, quae sunt *species* seu *formae* intelligibiles *non formatae, incommutabiles, aeternae*, etc. quae neque oriuntur, neque intereunt, per quas et juxta quas ideas res ipsas Deus creavit, cum nihil extra se Deus intueatur, ut secundum illud res constituat. (Aug. et Ansel.).

Deo igitur ideae rerum omnium insunt, et quidem *distinctae*, quia singula propriis rationibus creantur. (Aug. q. 46). Neque tamen distinctae ideae divinae simplicitati repugnant, cum sint in Deo, ut id quod intelligitur, non quo intelligitur; Deus enim essentiam suam cognoscit et secundum omnem rationem, qua creaturae, ejusdem similitudinis participes esse possunt. Et propterea quatenus Deus propriam essentiam cognoscit ut *imitabilem a creaturis, cognoscit* eam ut propriam rationem et ideam creaturae. = Quod ad ideas seu rationes rerum attinet, haec tria teneantur: 1. In Deo ideas rerum easque distinctas haberi, secus neque res cognosceret neque creare posset. 2. Non esse aliquid Deo extrinsecum, ut patet ex se. Neque 3. divinae simplicitati adversari, quandoquidem non sint aliud, quam ipsa divina simplicissimaque substantia, *secundum* quod est *participabilis secundum aliquem modum similitudinis.* (Thom. q. XV. a 2.).

Si Deus omnia futura etiam *libera* cognoscit, consequens videretur, omnia necessitate agi: nam si Dei praescientia falli nequit, actiones humanae et angelicae prorsus determinatae viderentur; unde plurimis philosophis, et nominatim Ciceroni, visum est, praescientiam Dei libertatem humanam auferre, vel libertatem humanam divinam praescientiam excludere.

At Patres et deinde theologi hanc implicatam quaestionem pertractarunt et ita illustrarunt, ut satis enucleata videatur. Augustinus de Lib. arb. c. 3, 10 etc. ait: = Deum praescire causam rerum, praescire voluntates nostras, adeoque non inferre necessitatem. = Et clarius = Non ideo peccat homo, quia Deus prae-

scivit illum peccaturum.... sed ipsum peccaturum esse praescivit, quia si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille praescivit. = Gemina habet Origenes Com. Gen. et Gaud. noster tract. III. de paschate: = Non ideo factum est (loquitur de morte Christo illata), quia praedictum erat, sed ideo praedictum, quia erat futurum. Neque aliter rem explicant Hieronimus, Anselmus etc. Vide etiam responsionem Thomae q. 14, a 13 ad 1, 2 et 3. =

Sic facile explicatur duplex loquendi ratio a Patribus saepius frequentata = Res ideo sunt, quia Deus novit = ideo res novit Deus, quia sunt. = Quae prima fronte locutiones contrariae videntur. At ea prior ratio loquendi ipsam rerum creationem respicit; altera ad liberas actiones refertur, et sic utraque verissima est.

Opponi posset: hac concessa doctrina, scientia Dei a creaturis determinaretur, et aliquid a creaturis acciperet Deus, quod supra repulimus. = Animadvertendum est, creaturas omnia, quae habent, a Deo una cum creatione accepisse, atque adeo fieri non posse, ut Deus quidquam a creaturis accipiat, quamquam actus humanos non determinet. Et haec videtur mens divi Thomae q. 14. a 13 ad 1. = Licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem.... ita a Deo sunt contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quae est causa proxima, sit necessaria. = Sunt et alia multa, quae circa scientiam Dei libere, haud raro acerbe inter theologos disputantur, quae tamen scire utile erit, quaeque vos docebit P. Perrone (de Deo c. 1. aa. 3. 4),

Petavius (de Deo l. 4 c. 2) Gotti (thom. III. 9. 4. dubio 1. 2. seq.) aliique.

THES. XXII. Deo vera et perfectissima inest voluntas, quae: 1° est ipsa Dei substantia: 2° licet in se una sit atque simplicissima, ratione tamen *multipliciter* distinguitur, ut Patres et theologi docent.

D. I^a^ p. Innumeris locis voluntatem Dei divina eloquia praedicant. Ps. 113. 11. = omnia quaecumque voluit fecit = Math. = Pater noster, fiat voluntas tua etc. = ad Thessal. I. 4 = Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra = Math. = Nomea sed tua voluntas fiat = etc.

Praeterea; quod homini competit, longe praestantius et eminentiori ratione Deo tribui debet; atqui: ergo. Ad haec: voluntas intellectum consequitur, ait Thomas q. 19 a 1. = Quaelibet enim res ad suam naturalem formam hanc habet habitudinem, ut quando non habet ipsam, tendat in eam, et quando habet ipsam, quiescat in ea: haec habitudo carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis. Unde et natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem similem habitudinem habet, ut scilicet cum habet ipsum, quiescat in illo; cum vero non habet, quaerit illum, et utrumque pertinet ad voluntatem. =

Idipsum confirmatur ex natura Dei, quae perfectissima esse debet etc. Quisque intelligit hanc voluntatem *actualissimam, immutabilem. aeternam* etc. esse oportere, ut ex jam statutis colligi potest.

D.^ae^ p. Dei voluntatem *realiter* ipsam esse naturam divinam, ex dictis circa distinctionem ejusdem divinae

naturae atque attributa, ratum fixumque esse debet: nihil enim esse potest in Deo nisi Deus. Ergo.

D. III^{ae} p. Quamvis voluntas Dei *una* prorsus sit, *indivisibilis* et *simplicissima*, tamen secundum mentem multiplici ratione distingui debet. En potiores distinctiones prae oculis habendae:

I^{a} Voluntas, quae dicitur *beneplaciti*, quae propria Deo est, et qua bonum vult. Hanc indicat Paulus verbis illis = Ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens. =

II^{a} Voluntas *signi*, et nihil aliud est, quam actio Dei externa, ex qua Dei voluntas apparet, et potest esse *praecipiens*, *prohibens*, *permittens*, *consulens* et *implens*.

III^{a} Voluntatem *beneplaciti* partiuntur in antecedentem, seu primam, in consequentem, seu secundam: voluntas *antecedens* est Deo *insita*, *propria*, a praescientia independens: sic vult, omnes homines salvos fieri: *consequens* scientiam Dei quodammodo consequitur, et, si ita dicere fas est, Deo accidit, illique nos homines damus.

IV^{a} voluntas *non efficax*, qua Deus aliquid vult, sed non ita, ut omnia impedimenta superet, quod facere posset.

V^{a} Voluntas *efficax*, quae omnia impedimenta superat, suumque finem infallibiliter sortitur.

VI^{a} Voluntas *absoluta* citra quamcumque conditionem: sic ex. gratia Deus non vult peccatum, sed virtutem: hinc apparet discrimen inter voluntatem *absolutam* et *efficacem*.

VII^{a} Voluntas *conditionata*, qua Deus quaedam vult, quibusdam tamen impletis conditionibus. Sic vult ho-

minum salutem, sed, conditionibus statutis, rite observatis.

THES. XXIII[a] Princeps et necessarium objectum divinae voluntatis est ipsa Dei essentia, in quam, ut in summum bonum, necessario fertur.

Voluntas Dei, quae actualissima est, in aliquod objectum necessario tendere debet: hoc objectum *necessarium, proprium, formale* divinae voluntatis est ipsa divina essentia, quatenus est ipsa bonitas. Deus seipsum perfectissime cognoscit, et seipsum cognoscit ut *summum bonum,* adeoque *necessario* et *naturaliter* seipsum velle debet, et in seipso tamquam in infinita bonitate quiescit. = Voluntas divina, ait S. Thomas (1. 1. q. 19. a. 3.) necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quae est proprium ejus objectum. Unde bonitatem suam esse Deus necessario vult, sicut et voluntas nostra necessitate vult beatitudinem; sicut et quaelibet alia potentia necessariam habitudinem habet ad proprium et principale objectum, ut visus ad colorem, quia e sui ratione est, ut in illud tendat. =

THES. XXIV.[a] Voluntas Dei etiam *circa alia* versatur, ut circa objectum *secundarium* et *liberum*, eaque principaliter propter seipsum vult et diligit.

D. 1.[ae] p. Haec propositio ex principiis fidei necessario deducitur. Sap. XI.° 26 = Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? = Math. 26. 39. = Non sicut ego volo, sed sicut tu. = Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. = Omnia quae voluit fecit in coelo et in terra. =

Omnia, quae existunt, a Deo creata sunt; jam vero

ideo creata sunt, quatenus Deus ea creare voluit; voluntas igitur Dei etiam circa alia versatur.

Voluntas Dei in ea omnia ferri debet, quae quomodocumque bona sunt; quae vero existunt, eo ipso quo existunt, bona sunt et divinam bonitatem participant: ergo objectum divinae voluntatis constituunt: = Res naturalis (ita S. Thom. q. 19 a 2) non solum habet naturalem inclinationem respectu proprii boni, ut acquirat ipsum cum non habet, vel quiescat in illo cum habet; sed etiam ut proprium bonum in alia diffundat, secundum quod possibile est.... Unde et hoc pertinet ad rationem volnntatis, ut bonum, quod quis habet, aliis communicet, secundum quod possibile est. Et hoc praecipue pertinet ad voluntatem divinam, a qua per quamdam similitudinem derivatur omnis perfectio. Unde si res naturales, in quantum perfectae sunt, suum bonum aliis communicant, multo magis pertinet ad voluntatem divinam, ut bonum suum aliis per similitudinem communicet secundum quod possibile est. Sic igitur vult et se esse et alia: sed se *ut finem* (objectum proprium necessarium, formale) alia vero *ut ad finem* (objectum secundarium, liberum, per accidens) in quantum condecet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare. = Quamquam igitur divinae voluntati divina bonitas plene sufficiat, non inde sequitur quod nihil aliud velit, sed quod nihil aliud velle possit quam ratione suae ipsius bonitatis. (Thom. ibid. ad 3. Suarez de Deo p. 129 n. 8. 9.)

D. II.ae p. Haec pars satis in I.a explicata habetur. Namque nullum extra Deum potest esse motivum adaequatum divinae voluntatis vel amoris, quoniam Deus

sibi sufficiens esse debet atque independens, et *ens absolutum* et *perfectissimum* in *fine absoluto* et perfectissimo quiescere potest. Quare Deus *alia a se* vult *principaliter* propter semetipsum juxta illud Prov. 16. 4 = Omnia propter seipsum operatus est Dominus = Et Is. 43. 7 = Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi illum =. Ad ephes. 1. = In laudem gloriae gratiae suae etc. =

Coroll. I. Deus omnia creata, quatenus sunt, vult et diligit: quatenus enim sunt, bona utique sunt. Hinc scriptum est: = Diligis omnia, quae sunt, et nihil eorum odisti =.

Coroll. II. Alia prorsus est ratio qua voluntas Dei et voluntas humana in res creatas tendit: voluntas humana res vult et diligit ob bonitatem, qua res ipsae ditatae sunt: voluntas divina res volens et diligens bonitatem rebus largitur. (Th. 20. 12).

Coroll. III. Deus non eodem modo res omnes diligit, sed juxta mensuram participatae bonitatis, ut perspicuum est. (XX. aa. 3 et 4)

Scolion 1.° Divinae voluntatis nulla assignari potest causa *extrinseca* vel *intrinseca*, quod manifestum est: quia = omnia causa efficiens major est eo, quod efficitur: nihil autem majus est voluntate Dei: non ergo causa ejus quaerenda. (Augustinus q. 28). Vult ergo hoc esse propter hoc, dicebant scholae, sed non propter hoc vult. (Thom. 19. a. 5.).

Scolion 2.° Voluntas Dei est causa rerum efficiens, sicut supra diximus de scientia: quemadmodum scientia divina est causa rerum efficiens, quatenus rationes *aeternas*, *immutabiles* rerum continet, ita voluntas est

causa rerum, quatenus ad agendum inclinat et determinat. (Thom. 19 a 4.)

Scolion 3.° Dei voluntas semper impletur; cum enim Dei voluntas sit causa universalis rerum omnium, effectum semper sortitur, et ut perfecte impleatur, oportet. Unde si quid, bene scribit Thom., a divina voluntate recedit secundum unum ordinem, secundum alium ordinem in ipsam relabitur, sicut peccator, qui a divina voluntate recedens, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per ejus justitiam punitur (XIX. 6.)

Thes. XXV. Sicut Deo *propria* inest voluntas, ita *perfectissima* eidem asserenda est libertas.

Libertas arctissimo vinculo cum voluntate devincitur, cum sit, ut ita loquar, ejusdem naturalis explicatio. Non est cur admoneamus, libertatem Dei, de qua acturi sumus non ipsam Dei essentiam, sed quae extra Deum existunt, vel existere possunt, respicere. Et in primis :

Quid est libertas? Ad vitandas innumeras philosophorum tricas, libertatis notionem ex theologicis fontibus hauriemus. De libertate ex professo disputarunt Nemesius, Augustinus, Anselmus, Joannes Damascenus, Thomas et alii Patres et theologi, qui omnes in eo conspirare videntur, ut asserant: liberum arbitrium situm esse in statu indifferenti, nulla necessitate ad utrumvis addictum : libertatem significare *voluntatem* seu *dominium ad faciendum et non faciendum*, ut scribit Augustinus, quae hoc vel illud suo nutu eligere valeat, nulla sive externa sive interna cogente causa vel impellente. Hanc definitionem a Patribus traditam et stabilitam habetis apud Petavium (l. 5. c. 2. 3. 4 de Deo).

1.° Divinam voluntatem, quod attinet ad res creatas, liberam esse, tradunt scripturae. Ps. 134. = Omnia quaecumque voluit fecit Dominus in coelo et in terra etc. = Jac. 1. 18.: = *Voluntarie* genuit nos verbo veritatis. = Ad Ephes.: = Omnia operatur Deus *secundum consilium voluntatis suae.* = Alia testimonia propemodum innumera transmitto, 'in quibus divina voluntas exhibetur *sui domina, sese determinans etc.*

2.° In sacris litteris praeces commendantur et ubique semperque fusae sunt; si Deus necessitate detineretur, orationes inutiles et ridiculae forent.

3.° Deus praedicatur ut bonus, beneficus, liberalis, benignus, misericors, eidemque gratiae aguntur, quae omnia libertatem necessario supponunt.

4.° Deus est ipsa infinita sapientia atque intelligentia: verum, ut Patres observant, quod intelligentia praeditum est, libertate decoratur suique juris est: cum intellectus praeluceat, et id quod facere oporteat, demonstret, nisi libertas daretur, ipse intellectus inutilis foret: = Quibus inest ratio, ait Honorius Augustodunensis, inest etiam volendi nolendique libertas. =

5°. Deus sibi sufficit nullaque re indiget: quo igitur pactu ad aliquid extra se operandum adigeretur?

6.° Qui est aeternus et primus necessitatem pati non potest: non ab alio, quia nihil est ante seipsum; non a seipso, quia repugnat; ergo.

7.° Patet ex absurdis: nulla enim esset lex Dei, neque malos poena, neque bonos mercede afficere posset.

Contra Dei libertatem plures difficultates proponuntur, quarum graviores pro viribus diluemus.

Opp. I. Quidquid in Deo est, Deus est, adeoque ae-

ternum atque necessarium; hinc neque cognitiones neque volitiones contingentes et liberae.

Resp. S. Thomas (1. 1. q. 19. a 3. ad 1.): = Ex hoc quod Deus vult ab aeterno quidquid vult, non sequitur, quod necesse est eum illud velle, nisi ex suppositione = Et in corp. a. = Cum bonitas Dei sit perfecta, et esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium *absolute*, et tamen necessarium est ex *suppositione*. Supposito enim quod velit, non potest non velle, quia non potest voluntas ejus mutari. = Deus uno eoque simplicissimo actu videt et vult seipsum necessario, et alia propter se *secundum convenientiam quandam;* Th. contra Gentes l. 1. c. 82) et ideo actus, puta creationis, incarnationis, etc. in Deo aeternus est, quia voluit (ex supposito) minime vero *prae termino vel objecto.*

Opp. II. Libertas importat potentiam et actum, et quemdam a statu ad statum transitum, quod repugnat.

Resp. Actus in Deo est aeternus, et quamcumque eliminat potentiam, proindeque nullus transitus: = Nolite dicere, sic Augustinus in conf., quid faciebat Deus antequam crearet? Nihil prius, nihil posterius, sed est: haec sunt temporum rationes: antequam crearet, non erat illud antequam, non enim est tempus. = Non temporalibus quasi animi sui aut corporis motibus operatur Deus, sicut operatur homo vel angelus, sed aeternis atque immutabilibus et stabilibus rationibus coaeterni sibi Verbi sui. = Augustinus de gen. ad litt. 1. 1. c. 18.) = Sicut sol, est comparatio Abelardi, cum ex calore ejus aliqua calefieri contingit, nulla hinc in ipso vel in calore ejus mutatio fit, quamvis exinde calefacta mutata sint. =

Opp. III. Deus semper est Dominus, semper creator, semper provisor, etc. haec enim attributa sunt Dei: omnia igitur, quae vult Deus, semper vult, unde perimitur libertas.

R. Haec sunt vocabula non *substantiae,* sed *potestatis,* respondet Tertullianus, atque relativa. Haec de Deo praedicamus, non quod aliquid eidem acciderit, sed quod creatis rebus aliquid accidit; et Deus ex his denominationibus nihil accepit, sed nos intelligimus quod Deus ante habebat, sed nobis minime innotescebat. Sic magister dicitur ratione docendi etc.

Opp. IV. Deus videt et vult res, modo ut futuras, deinde ut praesentes, postea ut praeteritas, siquidem huic triplici rationi existendi triplex in Deo intelligendi et volendi ratio necesse est respondeat. Sic hominem ut peccatorem odit et modo rescipiscentem diligit: concessa igitur divina libertate, prae iis, quae creata sunt, Dei immutabilitas et simplicitas evertuntur.

Responsio patet in superioribus. Deus enim cum sit aeternus et tempora omnia comprehendat, non videt res ut praeteritas vel ut futuras, neque alios et alios elicit actus, sed omnia praesentia videa demque ratione semper se habet. Procul dubio haec difficillima sunt, et Augustinus haec ipsa et alia similia sibi objiciens et sine affirmatione dimittens, subdit: = qui haec legunt, videant a quibus quaestionum periculis debeant temperare, nec ad omnia se idoneos arbitrentur =. Haec teneamus: Deus est immutabilis et aeternus et simul liberrimus: quomodo componuntur? Non satis id assequimur. Sunt duae catenae, scribit Bossuet, quae e terra ad coelum usque pertingunt: nobis autem propter oculi imbecilli-

tatem parallelae videntur, sed certa auctoritate et ratione scimus eas in unam conjungi. (V. Suarez disp. 30 sect. 7. 8. 9. metaph.)

Thes. XXVI. Ex scriptura constat, Deum *voluntate antecedenti,* quae est vera et propria ejus voluntas, *non iners,* aut *sterilis,* sed *foecunda* et *operatrix,* velle *omnium omnino* hominum salutem.

Voluntatem Dei salutiferam ad alios quoque praeter electos seu praedestinatos protendi, et pro aliis Christum sanguinem suum fudisse, doctrina est de fide: voluntatem Dei salutiferam ad homines universos et singulos vere extendi, supposito etiam originali peccato, si credimus Patri Perrone, est doctrina *fidei proxima.*

Jnverit voluntatem Dei, quam antecedentem seu primam appellamus, et consequentem vel secundam dicimus, paullo intimius declarare, et dux et magister erit Joannes Chrisostomus. Relatis verbis Pauli (1. ephes.) Quemadmodum elegit nos (Deus) in illo (Christo) antemundi costitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate = sic pergit Joan. = Non enim obtinetur (electio) laboribus et recte factis, sed *charitate*: neque charitate solum, sed etiam nostra virtute. Nam si charitate sola obtineretur, oporteret omnes esse salvos. Si autem rursus nostra sola virtute, supervacaneus fuisset Christi adventus..... Sed neque sola charitate, neque nostra virtute solum obtinetur, sed utrisque. = Quibus dictis, rem clarius aperit. = Elegit nos secundum beneplacitum voluntatis suae, idest, propterea quod valde velit. Hoc est, ut ita dicam, ejus desiderium. Ubique enim εὐδοκια, hoc enim vocabulum hic usurpat (Paulus), est voluntas *princeps,* seu *prima:* est enim et alia vo-

luntas; puta, voluntas *prima* est ne pereant peccatores: voluntas *secunda* est, ut qui facti sunt mali pereant: non enim eos castigat necessitas, sed voluntas. = Deinde duobus aliis locis Pauli citatis, prosequitur: = Συδοκιαν ergo dicit primam voluntatem, vehementem voluntatem, voluntatem cum desiderio, quae firmo proposito constat.... Hoc ergo sibi vult, valde cupit valde desiderat nostram salutem. Videte igitur primam antecedentem voluntatem Dei, et aliam posteriorem, secundam, etc.: prima dicitur vera voluntas, cum desiderio et quidem vehementi; non ita describitur altera. Prima est Deo propria, insita, benefaciens, universalis, omnes homines complectitur: altera circumscripta, non conjuncta cum desiderio, Deoque potius superveniens, quam ex Deo sponte efflorescens. Hisce praejactis, demonstramus Deum voluntate antecedenti velle omnium hominum salutem.

Locus classicus hac in re occurrit apud Paulum 1, Tim. II. 1-7, quem paucis enarramus: *a*) v. 1. Paulus obsecrat ut orationes fiant pro *omnibus hominibus*: *b*) v. 2. quod locutione amplissima dixerat v. 1., hoc altero v. repetit et magis determinat, cum nominat *reges* et *eos, qui in sublimitate sunt*: *c*) Hic Paulus videtur reges et principes nominare tanquam populorum omnium raepresentantes, ut per eos populis prospiciatur: quod *d*) liquet sequentibus verbis: = ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate: = en finis orationis, quam Paulus iubet pro regibus fundere. Ergo oratio omnes respicit, quia nullus excluditur, omnes comprehenduntur etiam reges et Imperatores, qui tunc temporis infideles erant: *e*) Paulus subdit rationem inquiens: = hoc enim (haec oratio pro omnibus) bo-

num est et acceptum coram Salvatore nostro Deo =. Coram igitur Deo res bona est atque accepta oratio pro omnibus hominibus, atque adeo eam vult, desiderat, praecipit: *f*) oratio pro omnibus bona est et accepta coram Deo *Salvatore;* indicatur satis perspicue, ideo bonam esse et acceptam coram Deo orationem pro omnibus fusam, quia Deus est Deus Salvator hominum, et omnium hominum pro quibus obsecrationes fiunt: *g*) haec idea Salvatoris Dei fusius explicatur v. seq. = qui (Deus) omnes homines vult salvos fieri = scil.: Deus acceptum habet, ut oremus pro omnibus, quia est Deus Salvator, qui omnes vult salvos fieri, et *h*) tanquam medium necessarium ad salutem consequendam, vult ut omnes veritatem cognoscant: Deus exhibetur ut volens *finem* (salutem) et *media idonea* (Cognitionem veritatis): *i*) et hujus voluntatis divinae salvandorum hominum caussa memoratur v. 5. = Unus enim (caussalis) Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus = quae verba hunc fundunt sensum: idcirco Deus Salvator noster vult omnium salutem, quia est ipse unus Dominus Jesus mediator hominum constitutus, unde debet salutem omnium velle: *j*) studio videtur positum illud vocabulum = homo Christus Jesus =, perinde ac si diceretur: quomodo hominum salutem non vellet Christus Deus, cum et ipse homo sit? *k*) Sequitur: = Qui (Christus) dedit semetipsum redemptionem (*αντιλυτρον* , pretium pro servis solutum) pro omnibus = Et quis ambigere poterit, sic Paulus, de voluntate Christi omnes homines salvandi, si pro omnibus semetipsum in ara crucis obtulit? Resumamus: 1. Orandum est pro omnibus: 2. ut qnietam etc. agamus

vitam: 3. hoc carum jucundumque Deo est: 4. Deo Salvatori: 5. Salvatori, qui omnes vult salvos: 6. quia est Deus conditor omnium: 7. et Cristus omnium mediator, cum humanam induerit naturam: 8. quique sanguinem pro omnibus fudit. Sicut igitur universalis est oratio (pro omnibus), ita et voluntas salutifera, nec non redemptio. Animadvertatur: 1. nullum esse indicium restrictionis, sive quod attinet ad orationem, sive quod spectat ad voluntatem salutiferam et redemptionem; imo locutiones esse universales omnino, et universalem etiam caussam, ita ut praedicatum *omnes* quater occurrat. Ergo.

Hoc testimonium perbelle explicat Passaglia op. de part. div. voluntatis etc. Romae 1851 p. 631.

Cui interpretationi non parva lucis accessio fit, si tria alia testimonia, uti par est, consideremus. Ezechiel 18. 23. = Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat? = 33. 11. Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur et vivat: convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israel? = 11. Pet. 3. 9: = Nolens aliquem perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. =

1.° Ezechielis interrogatio aequipollet solemnissimae et enphaticae negationi, ut ex se patet.

2.° Deinde Deus ore prophetae declarat, se vitae auctorem nolle impii mortem.

3.° Imo se velle conversionem impii et vitam; eumque

4.° gravissima hortatione ad resipiscentiam excitat illis verbis = convertimini etc.

5.° Petrus autem idipsum tradit ajente et negante ratione: dicit enim, quod Deus *non vult* aliquem perire,

sed omnes ad poenitentiam reverti et salvari: haec loquendi ratio Ezechielis et Petri, praesertim quatenus est negans, Pauli enarrationem declarat. Et haec omnia oracula mutuo lucem sibi affundunt, si rite et singula verba comparentur. Addantur etiam Is. V. 4. Math. 18. 2. 11ª Cor V. 14. 1.ª Jo. II. 2. Ad Rom. VIII. 18. etc. etc.

Thes. XXVII. Eadem doctrina luculentissime confirmatur Patrum omnium auctoritate, quae neque copiosior, neque evidentior desiderari potest.

Si quis Patrum omnium sententias, quibus nostra doctrina adstruitur, colligere vellet, volumen satis ingens conscriberet. Nos quosdam paucos seligamus.

Athanasius de Incarnatione Verbi: = Ut... Dei imago in hominibus repraesentaretur et refloresceret, ad nos venit Verbum....*omnes* mori debebant.... idcirco ille (Deus) sacrificium pro omnibus obtulit.... ut *omnes* a veteri trasgressione liberos, immunesque redderet =.

In Africa Arnobius adv. gent. 1. 2. 4. = Hoc proprium veri Dei et potentiae regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur aut minime =.

Pacianus Barcinonensis ser. de Baptismate = Sicut Adam per peccatum stirpem suam perdidit, ita Christus per justitiam genus suum vivificat.... *Neminem nostrum perire* vult Deus, etiam *modici* et *minimi* requiruntur.= Irenaeus in Gallia lib. IV. c. 22. = Quemadmodum in initio per primos (parentes) *omnes*.... in viae servitutem redacti sumus debito mortis, sic in ultimo per novissimum (Christum) *omnes* in vitam veniunt Dei....

Venit Christus propter *omnes* omnino homines qui ab initio in generatione sua etc. =.

Ambrosius: = (Deus) *omnes* vult suos esse quos condidit et creavit.... etiam fugientes requirit, et absconditos non vult perire, sed clamat dicens: ubi es, Adam? =

Theodoretus Com. in Timotheum. = Vult *omnes* salutem assequi ... non enim alius est infidelium et alius fidelium effector, sed unus est creator. =

Damascenus cum Athanasio docet, Deum eos omnes salvos esse velle qui rationis participes sunt. =

Eusebius Caesariensis in preparat. Evangel. lib. 1. c. I. scribit. = Laetam et salutarem cum Domino necessitudinem Deus Verbum tamquam splendor aliquis immensi luminis cunctis hominibus annuntiat. Is non uno vel altero loco, sed omnibus orbis nationibus homines vehementer ad Deum invitat, graecos et barbaros, viros et foeminas, puerulos, divites et inopes, ut oblatum munus.... suscipere velint extimulat.... quippe qui una eademque substantia et natura procreavit: omnium parens, jure *omnes* pariter in unius aequalisque munificentiae communionem adscivit, notitiam et amorem sui iis omnibus communicans, qui vocanti morem gerere et gratiae beneficium accipere voluerint. =

Alios permultos Patres facili negotio afferre possemus, qui unanimi suffragio huic veritati adstipulantur, quos brevitatis causa omittimus; item symbola, Pontificum declarationes, Ecclesiae orationes, fidelium omnium sensum transmittimus.

Ex citatis Patribus manifestum est: 1. Voluntatem Dei salutiferam (antecedentem) nunquam limitibus cir-

cumscribi: 2. Ne unum quidem *positive* excludi. Sed 3. ad omnes homines extendi. 4. ad *omnes homines omnino.* et 5. hanc voluntatem Dei salvificam extendi ad eos omnes qui rationis compotes sunt. et 6. ad eos omnes qui Adami peccato captivi tenentur. 7. Atque adeo pro omnibus Christum mortuum esse, qui peccarunt. 8. Deum omnibus beneficium gratiae et salutis aeternae offerre, omnes extimulare etc.

Quibus omnibus spectatis, jure affirmare possumus, si quid Scripturae et Patrum auctoritate firmari potest, hoc profecto indubitatum esse debet, Deum omnium hominum velle salutem.

Opp. I. Non desunt theologi, qui contendunt, Christum pro *electis* tantum, non pro omnibus mortuum esse: non igitur omnes Deus vult salvos fieri.

Resp. Et sunt Jansenius et Janseniani haeretici, concedo: catholici, distinguo: paucissimi, et ante damnatas Jansenii doctrinas, concedo: post damnatas doctrinas, nego.

Opp. II. Vocabulum *omnes* non infrequenter sumitur pro *multis* sensu latiori, sic in Scripturis, et Patribus: ergo ex voce *omnes* nihil conficitur.

Resp. Quandoque *omnes* aequipollet *multis*, concedo: semper et praecise in locis Biblicis supra explicatis: Nego. Recolite explicationem.

Opp. III. Scriptum est Malach. I. 2. 3. et loco parall. ad Rom. = Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Ergo non omnes vult salvos fieri.

Resp. Agitur de bonis temporalibus, concedo; de gratia et salute, nego. = Deinde novimus quandoque odium apud Haebraeos amorem minus fervidum signifi-

care, minime vero odium sensu stricto: et haec est significatio citati testimonii, ut patet.

Opp. IV. Augustinus plurimis in locis negat, Deum omnium hominum velle salutem, sed tantum praedestinatorum. Ergo etc.

Resp. Voluntate antecedenti, nego: consequenti, concedo. Praeterea Augustinus hoc negabat in sensu pelagianorum, qui tuebantur, Deum velle omnium salutem, quatenus hanc *viribus naturalibus* ab omnibus obtineri arbitrabantur, vel quatenus Deum, *aeque* omnium salutem vellet.

Opp. V. Augustinus docet omnem Dei voluntatem impleri semperque impleri, cum ergo non omnes salventur, concludendum est, Deum non omnes velle salutem adipisci.

Resp. Voluntas Dei consequens vel *efficax* semper impletur, concedo: voluntas vero antecedens et conditionata, nego. Haec est mens Augustini, ne dicamus Augustinum Augustino adversari.

Eodem modo dilui possunt aliae fere innumerae difficultates sive ex Scriptura, sive ex theologis, sive ex ipsa naturali ratione petitae.

Thes. XXVIII. Scripturarum effata Patrumque conspiratio persuadent, Dei voluntatem antecedentem salvandi omnes homines etiam ad infantes, qui Baptismo praeripiüntur, protendendam esse.

Dem. Haec doctrina tametsi *formaliter* de fide non sit, theologis communis est, magisque iis, quae supra statuimus, concinit.

Et sic thesim evincimus: 1° Oraculum Pauli supra enarratum postulat, ut credamus Deum omnes homines

salvos fieri velle; nulla autem ratio verisimilis afferri potest, cur infantes, absque Baptismo decedentes, excipiantur. 2° Oracula Exechielis et Petri supra exposita diserte, neganti ratione, idipsum confirmant, cum *simpliciter* asserant Deum *neminem perire* velle, sed *omnes* ad *poenitentium reverti, omnes vivere:* obvium igitur verborum sensum ille contorqueret, qui a voluntate tam *universali* infantes excluderet.

Item dicite de aliis locis in superiori propositione citatis. Patribus haec solemnissima fuere. 3° Bonitatem Dei omnes etiam reluctantes complecti: 4° Tantum Dei salutiferam voluntatem patere, quantum creandi actionem, ita ut eos salvos velit, quos creavit. 5.° Christum in hunc mundum venisse, ut omne quod perierat salvaret: porro et infantes originali labe infecti perierunt: ergo 6.° Omnes ad salutem vocari qui rationis sunt participes: ergo etc. Unde Augustinus, cujus auctoritas in hac questione summi est valoris, verba Pauli (1ª ad Timoth. II.) enarrans, haec habet: = Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est: Vult omnes homines salvos fieri? = Et iterum Opere imperfect. contra Julianum lib. I. c. 64. = Unus pro omnibus mortuus: ergo omnes mortui sunt: conclusio haec Apostoli invicta est, ac per hoc quia et *pro parvulis mortuus* est, profecto etiam parvuli mortui sunt. = Lib. II° c. 163. = Clamat Apostolus: ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est. Et vos reclamatis: non sunt mortui parvuli: clamate et quod sequitur: ergo non pro ipsis mortuus est. = Heic Augustinus urget contra Pelagianos peccati originalis universalitatem ejusmodi, qua et parvul-

compraehendantur: hoc probat ex morte, quam Christus etiam pro parvulis oppetiit: ergo et parvulos redemit, ergo et parvulos vult salvos fieri.

Neque alia est mens auctoris Vocat. Gent. qui creditur Leo Papa = Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae universaliter semper est impensa nationibus, qua utique si bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. = (Lib. II° c. 23) Cui et S. Thomas subscribit (IV. Sentent. distinct. VI. q. I. art. I. et alibi) Hanc tuentur Suarez. de Providentia Gratiae lib. IV. c. 4. Bellarminus, Andreas Vega et alii.

Hoc roboratur Symbolis, orationibus Ecclesiae, in quibus nullum indicium quo infantes a beneficio redemptionis arceantur, sed potius universalibus et amplissimis formulis compraehenduntur: roboratur fidelium omnium sensu, qui ut Ecclesiae expressio haberi potest, cum non aliunde quam ab Ecclesiae magisterio repeti queat.

Verum quomodo haec voluntas Dei salvifica, quae etiam ad infantes ante Baptismum morientes extenditur, intelligi potest? Quo pacto, haec duo, scilicet vera Dei voluntas salutifera et mors infantium absque Baptismo componuntur?

Cajetanus et alii paucissimi, infantes etiam, absque Baptismo, per fidem parentum, vel aliorum salvari posse arbitrati sunt: sed videtur manifestus error, atque hanc responsionem seponimus.

Vasquez in I. d. Thomae disp. XCVI. c. 2 et alii memorati a Suarez loc. cit. putant Deum velle in-

fantium salutem *simplici quadam* complacentia: quae est sententia falsa ex demonstratis, et intolerabilis.

Ad expediendam propositam difficultatem quasdam observationes et nonnullas hypotheses subjiciemus.

I. Est praepostera ea disserendi ratio, qua quis veritatem aliquam theologiae satis probatam vel rejicit, vel in dubium revocat, eo quod difficultatibus plus minusve gravibus obnoxia sit; tunc enim nimiae forent veritates utriusque ordinis, naturalis scilicet et supernaturalis, quae, quamvis certissimae, e censu veritatum amandarentur. Itaque non ideo veritas supra evidenter demonstrata neganda esset, etiam si difficultatem oppositam enodare non possemus.

II. Ut universalis dici queat voluntas Dei *antecedens* omnes omnino homines salvandi, satis esse videtur si homines in eo nascantur statu, in quo *media* salutis omnibus praesto sint: infantes autem in hoc reparationis statu nascuntur, licet moriantur antequam ejusdem reparationis participes fiant. Ergo etc.

III. Ut universalis salutifera Dei voluntas et dicatur et credatur, satis videtur factum si Deus, quantum ex se est, copiam omnibus tribuat consequendae salutis, etsi ob aliquam causam actu eam minime consequantur. Causa enim qua fit, ut ex aqua et Spiritu S. non renascantur, non est in Deo, sed *proxime* in ipsis infantibus vel parentibus collocari debet. Infantes sine Baptismo morientes comparari possunt amentibus, qui mortali peccato adstricti, morte corripiuntur.

IV. Ut adulti salventur, duo necessaria sunt: 1.° Ut Deus iisdem gratiam suppeditet. 2.° Ut gratiae adulti

cooperentur: si cooperatio desit, salus non obtinetur, quamvis gratia et voluntas Dei non desint. Ita a pari: ut salventur infantes, duo requiruntur, idest: 1.° Dei voluntas, et 2.° ne cursus legum naturalium infantibus praecocem inferat mortem. Porro sicut defectus cooperationis ex parte adultorum nihil impedit quominus voluntas Dei salvifica universalis praedicetur, ita defectus naturae eidem Dei voluntati, quod spectat ad infantes, officere non debet.

V. Est et alia responsio, quam nobis suggerit auctor Operis Vocat. Gentil. his verbis: = Non *irreligiose* arbitror credi, neque *inconvenienter* intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiae partem, quae semper impensa est nationibus: qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam isti per eosdem juvarentur. Omnia namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiae sub arbitrio jacent voluntatis alienae, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest, et consequens est, illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel pravo, vel recto aguntur affectu. Sicut enim ex aliorum confessione credunt, ita ex aliorum infidelitate aut dissimulatione non credunt: et cum ipsi non praesentis vitae, nec futurae desiderium habuerunt, quam parentum factum est nasci, tam ipsorum efficitur renasci. = Quae solutio vel hypothesis mihi maxime arridet, cum gratiae aeconomiae, nec non ordini naturali respondeat, quo videmus res ab aliis rebus pendere, et salutem populorum non raro a quibusdam hominibus repetendam esse. Imo, posita sanctorum communione, non citra catholicam doctrinam aliquis affirmare potest, non modo a parentum volun-

tate, sed etiam a voluntate et orationibus omnium hominum pendere infantium salutem.

VI. Denique et alia est hypothesis. Sicut duplex est damnatio, ita duplex est reparatio: est enim damnatio *positiva*, qua damnati Deo privantur et doloribus etc. afficiuntur: *negativa*, quae privatione solius beatificae et supernaturalis visionis Dei continetur. Duplex est et reparatio, scilicet *positiva*, qua quis positivae damnationi subtrahitur; *negativa*, qua negativa damnatione liberatur. Possumus igitur affirmare, Deum velle infantium omnium salutem hoc saltem sensu, quatenus eos ad poenam *positivam* non vult damnare (Vide Passaglia De Prima et Secunda voluntate Dei etc.).

Coeterum de hac quaestione nonnulla rursus dicenda erunt, ubi de gratiae distributione et de effectibus peccati originalis disputabimus.

Thes. XXIX. Sicut Deo insunt intellectus et voluntas, ita eidem omnipotentia tribuenda est.

Dem. In qualibet natura rationali tria veluti momenta distinguere oportet. Rationalis natura, 1. intelligit: 2. quod intelligit facere velle potest: 3. Insita sibi virtute facit. Ita et Deus absque temporis vel laevissima successione *intelligit, vult, operatur*. Jam vero intelligenti scientia, volenti voluntas, facienti potentia vel omnipotentia respondent.

Postquam igitur de scientia et voluntate divina egerimus, reliquum est ut de potentia seu omnipotentia disputemus.

Potentia vel melius omnipotentia Dei nil aliud significat quam Deum omnia facere posse. = Quis autem

omnipotens, nisi qui omnia potest, ait Augustinus de Trinit l. 4. =

Dei omnipotentiam fere omnia symbola profitentur, ut habetur in Apostolico, in Costantinopol. Niceno, in plurimis fidei professionibus, canonibus etc. In Genesi XVIII. 14. legimus : = Numquid Deo est quidquam difficile? = Job. XLII. 2. = Scio, Domine, quia omnia potes. = Apud Lucam I. 36. haec verba occurrunt: = Apud Deum non est impossibile omne verbum. = Gemina sunt illa *Matthaei* XIX. 26. = Apud Deum omnia possibilia sunt. = Ex Scripturis igitur hoc colligimus. 1. Nil Deo difficile. 2. Nil impossibile. Deinde 3. omnia possibilia. 4. Quod idem est, Deum omnia posse. Nequit Dei omnipotentia luculentius enunciari.

Ex Patribus unum citamus Fulgentium de Fide ad Petrum c. 3. = Ideo Dei omnipotentia intelligitur quia omnem creaturam visibilem atque invisibilem de nihilo fecit, in quibus ipsa rerum diversitas multo magis commendat bonitatem atque omnipotentiam Creatoris. Nisi enim omnipotens esset, non una eademque facilitate summa atque ima fecisset. = Omnipotentia igitur depraehenditur, auctore Fulgentio, tum ex creatione rerum omnium, tum ex earundem diversitate, tum denique ex facilitate, qua summa et ima effecit.

Deduci potest etiam ex perfectione infinita divinae substantiae, ex vi ipsius nominis *qui est* etc.

S. Thomas 1.ª 1. Qu. XXV. art. 1.° ostendit duplicem esse potentiam, scilicet passivam et activam: prior nullo modo est in Deo, alteram oportet in Deo *summam ponere*, et probat ex eo quod Deus est purus actus, et simpliciter et universaliter perfectus..... Unde sibi

competit maxime esse principium activum.... et ideo in Deo *maxima* esse debet *potentia* activa. = In art. 2.° ita probat potentiam Dei esse infinitam. = secundum hoc potentia activa invenitur in Deo, secundum quod ipse actu est: esse autem ejus est infinitum.... unde necesse est quod activa potentia Dei sit infinita: = et merito dici possit *omnipotentia*, ut probat art. 3.°

Patres apud Petavium lib. V. c. 5 et seq. divinae omnipotentiae dotes et characteres in eo potissimum collocant, quod: (*a*) omnia absque praejacente materia efficiat (*b*) nulloque instrumento unquam indigeat: (*b*) et ex nihilo omnia conservet: (*d*) omnia eadem facilitate producat et conservet.

De divina omnipotentia etiam ethnici philosophi egregie disseruerunt, ut videre est apud Platonem, Parmenid. Xenophontem etc.

Quaeri potest utrum omnipotentia ad scientiam, vel ad voluntatem, vel ad ipsam Dei essentiam immediate referatur. Haud dubio ad essentiam Dei immediate referenda est, utpote attributum, quod non nisimente ab essentia distinguitur.

Hic quaedam Patrum locutiones examinandae veniunt, et ad catholicum praescriptum revocandae.

Augustinus, Theodoretus, Fulgentius, Damascenus, Hieronymus, Nissenus et alii docent, Deum id omne velle quod bonum est: videretur igitur Deus id omne, et id solum posse, quod vult, quodque adeo existit: unde Plotinus et deinde Abaelardus, et serius Wiklefus in in hanc concesserunt sententiam: = Deum nihil aliud facere posse, quam quod facit. = Haec doctrina prouti jacet a manifesta haeresi purgari nequit.

Indubitatum enim est, Deum facere posse etiam ea quae non facit, ut ex professo tuentur theologi omnes cum Thoma (I.ª 1. Q. XXV. art, 5.) et longe antea tradiderat Augustinus in Enchiridio. = In clarissima luce sapientiae videtur, quod nunc piorum fides habet, quam certa et immutabilis et efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, et non velit; nihil autem velit quod non possit. =

Patrum locutiones sic intelligi possunt et debent: 1. Deus vult omnia quae potest, scilicet vult *omnia* quae *facit*, et nihil facit quod non vult, quia nihil invitus facit. 2. Vult omnia quae potest, idest vult suam omnipotentiam, qua, si velit, omnia facere potest, et hac ratione omnipotentia et voluntas Dei *pares* sunt, ut Patres citati affirmant. 3. Vult Deus omne quod est bonum, justum etc. quod vult, concedo: quatenus nihil vult quod sit impium et injustum, etc. rursus concedo: quod nihil aliud possit si velit, nego.

Abaelardus et Optimistae asserebant, Deum nonnisi optima facere posse, et rursus consequens foret Deum non aliter facere posse quam facit, quae est haeretica sententia: siquidem Dei libertas, omnipotentia etc. everterentur.

Duplex est bonitatis ordo, ait Thomas; bonitas ipsius divinae substantiae, quam Deus necessario vult: bonitas ipsius Dei, quatenus participatur ad extra, et *hoc modo res a se factas facere potest meliores.* = quia nulla necessitate Deus obstringi potest.

Quaeri potest 1. Utrum sint quaedam creata, quae neque ipse Deus meliora facere possit? Utique, respondet Thomas loc. cit. art. 6 ad 4 talis est Christi hu-

manitas, ipsaque Virgo Maria: poterat Deus naturam humanam non induere, et Matrem sibi non eligere: at, incarnationis voluntate semel posita, aliter facere non poterat: qui enim finem intendit, media necessaria velle tenetur.

Quaeri potest. 2. Potestne Deus facere ut non sint quae praeterita sunt? Negat Thomas ibid. art. IX. quia contradictionem implicat: = Hoc enim omnipotentiae non subditur, non propter defectum divinae potentiae, sed quia non potest habere rationem factibilis neque possibilis.... Et convenientius dicitur quod ea (impossibilia) non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere. (ibid. art. 3).

Quaeri potest 3. Si Deus non potest moveri, peccare, mentiri etc. videtur negari Dei omnipotentia.

Moveri etc., ait Thomas, est secundum potentiam *passivam* non *activam*: potentia *passiva* est defectus potentiae. Ergo.

Non potest peccare et mentiri etc. = Peccare juxta Thomam, (art. 3 ad II.). est deficere a perfecta actione, unde posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat divinae omnipotentiae. = Deus enim potest omnia, scribit Titus Bosrensis, quae potest potentia, et nihil quae potest impotentia. =

Hic agendum esset de aliis plurimis divinae essentiae proprietatibus, ex gr. de bonitate, de amore, de veritate, de justitia, sanctitate, pulchritudine etc. sed brevitatis causa, ea missa facimus, hortantes ut ea legatis enucleata apud probatos auctores, et nominatim apud Thomam.

CAPUT SEXTUM

De Divina Providentia

Thes. XXX. Providentiae nomine et vi explicata, tuemur: 1° Providentiam Deo necessario tribuendam. 2° Eandemque non ad omnia dumtaxat *in genere*, verum etiam ad *singula* se protendere.

Dem. I. p. Providentia, quam graeci *προνοιαν* appellant, nativa significandi potestate significat praevisionem: at Patres et theologi, omnesque christiani hoc vocabulum latiori significatione usurparunt, quatenus scilicet non solum Dei praevisionem exprimit, sed *curam* rerum omnium creatarum importat. Unde Joannes Damascenus providentiam definit = Est voluntas Dei, per quam res omnes apte administrantur = Et Thomas I. 1ae q. XXII. art. 1.° = Ratio ordinis rerum in finem providentia in Deo nominatur. = Quare Providentiae notio his duobus continetur: 1. scientia Dei, qua ipse omnia videt et praevidet: si enim res ignoraret, profecto neque providere posset. 2 Voluntate, qua res omnes disponere et dirigere vult ad finem sibi proprium assequendum, et propterea media fini assequendo idonea adhibet.

Ex dictis eruimus, providentiam ejusmodi esse divinam proprietatem. quae creaturas respicit, quaeque, creatione supposita, Deo inhaeret.

D. II. p. Salvianus argumenta, quibus providentia Dei asseritur, et vindicatur, ad triplicem classem redegit, ad rationem philosophicam, ad exempla et ad auctoritatem.

Cum tractatio nostra sit theologica, auctoritas primum teneat locum.

Petrus I. V. 7 = Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. — Sapientia XVI. 3. = Tu autem, Pater, gubernas omnia providentia. = Christus apud Matt. VI. 25. et Lucam XII. 22 fuse providentiam describit, quae creaturis omnibus. liliis, passeribus. avibus coeli etc. prospicit.

Succedunt Patres; Joannes Damascenus de fide Ortodoxa lib. 2 c. 29. — Deus est bonus et sapiens: quatenus est bonus providet; qui enim non providet, non bonus: nam et homines et bestiae propriorum faetuum curam habent naturali quodam instinctu.... quatenus sapiens est, optime rebus prospicit. — Augustinus idipsum evincit ex justitia Dei, quae sicut nemini bono poenam infligere potest, ita neque malo praemium tribuere: omnia igitur considerare, inspicere, gubernare, debet, ne ordo justitiae labefactetur. — Non decet, observat Nemesius, alium esse effectorem rerum, et alium provisorem, secus imbecillis probaretur (quia aliis indigeret): qui ergo creavit, ipse et regit, et providet etc — Et Ambrosius praeclare arguit a simili: — Quis operator negligit operis sui curam? Quis deserat et destituat quod ipse condendum putavit?... Cum aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia. — (De Off. lib. 1. c. 13)

Hoc ipsum confirmari potest ex eo quod Deus est rerum omnium conservator. Deus, animadvertunt Patres, non est ut architectus, qui postquam aedificium aliquod molitus fuerit, abit; mundus enim ne ictu quidem oculi consisteret, si Deus regimen suum subtraheret; omnia

diffluerent et perirent, cum existentiam non habeant a se, sed a Deo repetant: quare si res conservantur, eatenus conservantur, quatenus Deus eisdem jugiter adest suaque sapientia et virtute substentat: hoc autem nihil aliud est quam rebus providere; ergo etc.

Praeterea, quis credat Deum rebus omnibus conditis *se negative habere*? Omnia diligit, utpote bona; ergo omnibus prospicere debet: amor enim beneficus est et providens. etc.

Addi possent alia plura rationum momenta, quae indicata a Patribus habemus. Hoc enim stabilitur: 1. Ex immensitate Dei: 2. Ex mira rerum omnium dispositione et perfectione, ex structura corporis humani, ex coelorum concentu, ex tempestatum constanti successione, ex vultuum diversitate etc. (Nemesius, Basilius, Athanasius, Augustinus.) Sed praestat audire Thomae demonstrationem. (I^{ae} q. XXII. art. 1.) = Omne bonum quod est in rebus, a Deo creatum est.... in rebus autem creatis invenitur bonum non solum quantum ad substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum ad finem, et praecipue ad finem ultimum, qui est bonitas divina.... Hoc igitur bonum ordinis in rebus creatis existens a Deo creatum est. Cum autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, et sic cujuslibet sui effectus oportet rationem in ipso praeexistere.... necesse est quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina praeexistat: ratio autem ordinandorum in finem proprie providentia est; est enim principalis pars prudentiae, ad quam aliae duae partes ordinantur, scilicet memoria praeteritorum, et intelligentia praesentium, prout ex praeteritis memoratis, et ex praesentibus

intellectis conjectamus de futuris providendis. Prudentiae autem proprium est.... ordinare alia in finem, sive respectu sui ipsius.... sive respectu aliorum sibi subjectorum etc.... secundum quem modum prudentia, vel providentia Deo convenire potest. Nam in ipso Deo nihil est in finem ordinabile, cum ipse sit finis ultimus. etc. =

D. II.^{ae} p. Providentia Dei etiam ad singula se extendit, ut luculenter ex disputatis apparet; eadem enim argumenta, quae divinae providentiae existentiam probant, probant etiam eam ad singula pertingere. Nolumus tamen D. Thomae argumentationem praetermittere: = (loc. cit. art. 11.) = Cum omne agens, agat propter finem, tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis.... Causalitas autem Dei, qui est primum agens, se extendit usque ad omnia entia, non solum quantum ad principia speciei, sed etiam, quantum ad invidualia principia.... unde necesse est omnia quae habent quocumque modo esse, ordinata esse a Deo in finem.... cum ergo nihil aliud sit Dei providentia, quam ratio ordinis rerum in finem, necesse est omnia in quantum participant esse, in tantum subdi divinae providentiae. =

Opp. 1. Mala, quibus homines cruciantur, providentiam Dei excludere videntur.

Resp. Quoad mala phisica, partim ab ipsis hominibus repeti debent, et partim divinitus vel permittuntur, vel etiam infliguntur, ut boni exerceantur, mereantur, salventur etc. Quoad mala moralia, ea permittuntur, ut ex ipsis malis bona deriventur.

Opp. 2. Boni malis afficiuntur, malis vero hominibus res bene cedunt: non est igitur providentia.

Resp. Si providentiae ordo temporis limitibus contineretur, concedo; si ad aliam vitam se extendit, nego. = Praeterea, Deus quandoque in hac vita malos afficit mercede ob virtutes quasdam naturales, quae in altera vita absque praemio remanerent.

Opp. 3. Innumera sunt *inutilia*, vel etiam *noxia*, ut venena etc. ergo etc.

Resp. Videntur inutilia nobis, noxia etc. et etiam quandoque talia sunt, concedo; in se, et semper, nego.

Opp. 4. Peccatum et providentia divina componi nequeunt. ergo. etc.

Resp. Si peccatum penderet a divina voluntate, concedo; si pendet ab hominum voluntate, nego.

Opp. 5. Divinam majestatem summopere dedecet vilissimarum rerum curam gerere.

Resp. Tunc Deum et creatio dedeceret: insuper omnia coram Deo, si divinam majestatem spectemus, vilissima sunt, ipsis angelis non exceptis.

Opp. 6. Ordo rerum a natura pendet, scribit Laplace: nulla igitur necessitas providentiae divinae: ergo etc.

Resp. Quae naturae leges a Deo proficiscuntur, concedo; ab ipsa natura, tanquam a causa prima, nego.

Opp. 7. Scriptura docet, Deum rebus omnibus non providere.

Resp. Sicut hominibus, concedo; rebus, pronti congruit, nego.

Opp. 8. Dicitur homo sibi relictus, in manu consilii sui, etc.

Resp. Ad significandam libertatem, concedo; ad negandam providentiam, nego.

CAPUT SEPTIMUM

De Praedestinatione Dei.

THES. XXXI. Declarato praedestinationis vocabulo; affirmamus, veri nominis praedestinationem in Deo admitti debere, eamque *certam* et *immutabilem* esse.

Dem. Quam nos latini praedestinationem dicimus, graeci *προοριομον*, vel etiam *οριομον* nominant: unde *ορίζειν* vel *προορίζειν* *definire destinare*, *praedefinire*, *praedestinare* etc. (Lucas. XXII. 22.) = (II. 23. = I. Rom. 4. IX. 8. 29. 30. etc.) Sensu theologico hoc vocabulum frequentatur ad actum exprimendum, quo Deus scientia et voluntate sua aliquid faciendum praedestinat.

Saepe saepius vox praedestinationis praescientiam significat. Sic Augustinus, De bono Persev. c. 17. = Haec Dei dona, si nulla est praedestinatio, quam defendimus, non praesciuntur a Deo: praesciuntur autem: *haec est igitur praedestinatio*: = At, si proprie loqui velimus, praescientia cum praedestinatione confundi nequit: nam praescientia mentis notionem significat; praedestinatio vero voluntatis *propositum*, *electionem* etc. important.

Patres plures et in primis Augustinus (Trac. 48. in Joan. in Enchiridion cap. 100) Prosper. (lib. 1 Respons. ad cap. Gall. object. 14 etc.) praedestinationis vocabulum tum ad vitam et gratiam, tum ad poenam et damnationem sumunt. = Bene utens et malis tamquam summe bonus ad eorum damnationem, quos juste *prae-*

destinavit ad poenam, et ad eorum salutem, quos benigne praedestinavit ad gratiam. = (Aug. loc. cit.) Qui usus vocabuli praedestinationis non aeque graecis probari videtur: Damascenus enim, lib. 11. c. 30. dicit: Deum omnia quidem praescire, non tamen omnia praedestinare, non enim malitiam esse vult, nec necessitate exprimit virtutem.

Et nunc theologi praedestinationem usurpant communiter sensu *bono*, non *malo*; unde dicimus Deum praedestinare ad fidem, ad gratiam, ad gloriam, et *praescire*, non praedestinare, ad *poenam* et *mortem*. Ad culpam vero nullo modo dici possunt praedestinati homines, quae est detestabilis Calvini blasphemia.

Praedestinationem definimus cum Augustino (De Praedest. Sanctor. c. 10.) = Gratiae praeparatio. = Et alibi (de bono persev. 14) = Praedestinatio nihil aliud est quam praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur = Neque differt descriptio Thomae I. 16 q. 23 art. 3. = Praedestinatio est quaedam ratio ordinis aliquorum in salutem aeternam, in mente divina existens. = Ex hac definitione, quae communissima est, depraehendimus, in praedestinationis notione haec contineri: 1. Actum divini intellectus, quo Deus futura omnia cognoscit. 2. Actum divinae voluntatis, quo gratiam et gloriam vult hominibus conferre. 3. Effectum praedestinationis, qui est salus electorum.

His praejactis, ostendimus, in Deo veram haberi praedestinationem ad gratiam et ad gloriam, quin in praesenti modum praedestinationis investigemus, de quo postea suo loco.

Tridentina Synodus, Sess. VI. can. 16 et 17, apertissime eam supponit illis verbis = Si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit.... anathema sit. = Confer cap. XII ubi Concilium temerariam haereticorum praesumptionem frangit, qui affirmabant etiam in hac mortali vita justificatos posse et debere certo statuere, *se esse omnino in numero praedestinatorum.*

Quod ad Patres attinet, omissis Clemente Alexandrino, Iraeneo, Polycarpo et Clemente Romano aliisque, Augustini et Fulgentii verba proferemus. Augustinus (De dono Persev. 23 4) haec scribit. = Veritatem praedestinationis hujus et gratiae, quae contra novos hereticos cura diligentiore defenditur, nunquam Ecclesia non habuit. = Quod Augustinus aliis locis repetit. Fulgentius (De Fide ad Petrum. 35) = Firmissime tene et nullatenus dubites, omnes quos vasa misericordiae gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei praedestinatos a Deo. = Neque minus perspicue sacra oracula loquuntur. Confer Math. XXV. 34. Rom. VIII. 29, 30; ad Ephes. 1. 4. Rom. IX. 11 23. Sufficit Pauli afferre testimonium. = Quos praescivit et praedestinavit conformes etc.... quos autem praedestinavit hos et vocavit. =

Quod haud difficile ita probamus: qui salvantur, ideo salvantur, quia iisdem gratiae necessaria auxilia suppeditat Deus, eosque ad vitam aeternam perducere vult; haec autem omnia fieri non possunt quin Deus ea praevideat velit et operetur: verum haec omnia praedestinationem efficiunt. ergo etc.

Paucis: si quis praedestinationem inficiaretur, ipsi et aeternitas esset neganda, et voluntas, et praescientia Dei, ipseque Deus negandus foret. Ergo etc. Hoc autem fidei dogma et hanc philosophiae veritatem placet verbis Thomae demonstrare et illustrare: (I. q. 23 art. 1.) = Omnia divinae providentiae subjacent.... ad providentiam autem pertinet res in finem ordinare,.... Finis autem, ad quem res creatae ordinantur a Deo, est duplex. Unus qui excedit proportionem naturae creatae et facultatem...: alius autem finis est naturae creatae proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suae naturae. Ad illud, ad quod non potest aliquid virtutae suae naturae pervenire, oportet quod ad illud transmittatur; sicut sagitta a sagittante mittitur ad signum. Unde proprie loquendo, rationalis creatura, quae est capax vitae aeternae, perducitur in ipsam quasi a Deo transmissa. Cujus quidem transmissionis ratio in Deo praexistit, sicut et in eo est ratio ordinis omnium in finem, quam diximus esse providentiam. Ratio autem alicujus fiendi in mente actoris existens est quaedam praeexistentia rei fiendae in eo. Unde ratio praedictae transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae praedestinatio nominatur: nam destinare est mittere. = Nihil lucidius hac demonstratione.

D. II.^{ae} p. Praedestinatio est actus divinae voluntatis et intellectus, ut supra monuimus; quamvis igitur effectus in temporese quatur, praedestinatio *aeterna*, *immutabilis*, *infallibilis* esse debet, ne ipsius Dei naturam et perfectiones penitus destruamus. (Thom. ibid. art. 6.)

Quod et citata Scripturarum testimonia stabiliunt, quando praedestinationem et electionem dicunt factam esse *ante mundi constitutionem.* (Eph. I. 4) et regnum paratum electis *a constitutione mundi.* (Matt. XXV. 34). Quibus locutionibus praedestinatio aeterna et immutabilis et ideo infallibilis effertur. Confer etiam Joan. X. 27. 28. ubi Christus declarat se ovibus suis vitam daturum, et subinde testatur: = et *non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quispiam de manu mea.* =

Corol. I. Praedestinatio non est aliquid in praedestinatis, sed in ipso praedestinante Deo, ut explicat Thomas loc. cit. art. 2.

Corol. II. Praedestinatio non dicitur respectu creaturarum irrationalium, quia *capaces non sunt illius finis, qui facultatem humanae rationis excedit* (art. I. ad 2).

Corol. III. Praedestinatio convenit angelis sicut hominibus. (ibid. ad 3).

Corol. IV. Numerus praedestinatorum certus et determinatus esse debet etiam *materialiter*, ratione *electionis* et *definitionis* cujusdam, inquit Thomas. (ibid. art. 7.) Totum legite articulum.

Thes. XXXII. Fide tenendum est, neminem citra specialem revelationem, certo nosse se esse praedestinatum.

Dem. Indirecte id definivit Tridentina Synodus Sess. VI. cap. 12 et can. 16. qui sic se habet: = Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum (cum quo necessario praedestinatio devincitur) se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit. = Quo canone doctrina Calvini conficta fuit, qui dicebat,

justificatum teneri ad credendam de fide sui ipsius praedestinationem.

Quae verba definitionis Tridentina synodus excerpsisse videtur ex Thoma loc. cit. art. I. ad 4: et ex Augustino de Correptione et Gratia C. 13. De bono Persev. c. 13. — Confer Scripturae testimonia: Rom. XI. 20. ad Philip. II. 12. Rom. XI. 33, 34. etc. quibus discimus, *timendum esse*, *salutem cum timore et tremore* jubemur operari, divitias sapientiae Dei, quod spectat ad gratiae distributionem, investigari non posse etc. Denique: actus praedestinationis est aeternus, Deo proprius, et cooperationem praevertit; quis igitur illum cognoscere potuerit, nisi ipse Deus patefecerit? Neque convenit, ut omnibus homibus manifestetur, ut Thomas probat loc. cit.

Thes. XXXIII. Fide tenendum est, praedestinationem ad *fidem et gratiam* bonae vitae (Fulgent. de veritate praedest. lib. III. 1. 5), tamquam *ad media necessaria* ad gloriam, esse plane gratuitam.

Dem. Deus potest praedestinare: 1. ad gloriam: 2. ad vitam bonam 3. ad fidem et gratiam etc. ut quisque intelligit: praedestinatio ad gratiam, ad vitam bonam, ad fidem rationem haberet *mediorum* prae gloria, quae est finis.

Ne confusio oriatur, in praesenti, praedestinationem ad gloriam seponamus, et demonstremus praedestinationem ad fidem et ad gratiam bonae vitae non esse ex praevisis meritis, sed prorsus gratuitan.

Verumenimvero Paulus docet (Rom, III. 20 24 27) (IV. 4) (IX. 12 XI. 29 35 etc.) gratiam non esse ex operibus quae fecimus nos; alioquin gratia jam non

esset gratia: dona Dei et vocationem esse sine poenitentia: homines justificari et salvari gratis per fidem, inimicos esse Deo, et natura filios irae, nihil ex se habere, de nihilo gloriari posse, omnia accipere etc. Si igitnr fides, gratia, et justificatio gratuito dantur, ut, data opera, stabiliemus in tractatu de gratia, procul dubio, et praevisio seu praedestinatio, qua Deus vult gratiam, fidem etc. conferre, dici nequit bonorum operum effectus, et idcirco est prorsus gratuita.

Adde: Scriptura passim edocemur, homines salvari per misericordiam Dei, ob benignitatem Salvatoris, ob nimiam charitatem Christi, secundum propositum voluntatis Dei etc. ergo sicut fides et gratia bonae vitae est ex misericordia et bonitate Dei repetenda, adeoque penitus gratuita, ita et ejusdem gratiae et fidei decretum gratuitum credi debet.

S. Thomas praeclare disputat: I. p. q. 23. art. 5. = Potest considerari pradestinationis effectus in communi, et sic impossibile est quod totus praedestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra; quia quidquid est in homino ordinans ipsum in salutem, compraehenditur totum sub effectu praedestinationis, etiam ipsa praeparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum. = Cum igitur non sit in homine causa movens vel determinans praedestinationem Dei ad gratiam, patet, eam esse gratuitam.

Deducitur ex damnata tum Origenis, tum Pelagianorum doctrina: illa dicebat, homines praedestinari ob merita in altera praexistente vita acquisita; isti defen-

debant, homines simpliciter praedestinari ad vitam ex praevisis naturae meritis. Ergo etc.

Thes. XXXIV. Pariter fide tenendum est, praedestinationem et electionem *complete* seu *adaequate* sumptam, idest ad *gratiam* simul et ad *gloriam*, et prae omnibus suis effectibus, non esse ex praevisione meriti praedestinatorum.

Dem. Recolantur omnia Scripturarum testimonia in thesi antecedenti indicata, quae huc quoque faciunt, ut quisque facile sibi persuadere poterit, cum locutiones biblicae latissime pateant, et diserte, modo ad gratiam, modo ad vitam aeternam et gloriam referantur. Ergo.

S. Thomas supra citatus mira perspicuitate hanc veritatem evolvit. Praedestinationem divinam, prae suis effectibus, dupliciter distinguit: in particulari, et sic nihil impedit quominus effectus aliquis alterius effectus sit causa, et ita porro: sic gratia suscepta potest esse causa alterius gratiae, et meritum causa gloriae etc. Praedestinatio autem in *communi*, suu *adaequatae*, *completa*, considerata ex parte nostra non potest ullam habere causam. == Quia quidquid est in homine ordinans ipsuum in salutem, compraehenditur totum sub effectu praedestinationis, etiam ipsa praeparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum, secundum illud Jeremiae: 21. Thren. ult. Converte nos, Domine, ad Te, et convertemur. Habet tamen hoc modo praedestinatio ex parte effectus pro ratione divinam bonitatem, ad quam totus effectus praedestinationis ordinatur, ut in finem, et ex quo procedit sicut ex principio primo movente. ==

Adaequata vel *completa* praedestinatio compraehendit praedestinationem tum ad gratiam, tum ad fidem, tum

ad vitam bonam, tum ad perseverantiam, tum ad finem, seu gloriam aeternam.

Praedestinatio *inadaequata*, seu *incompleta*, comprachendit praedestinationem vel ad solam gratiam, vel ad solam gloriam.

Dicimus praedestinationem *adaequatam* seu *completam* esse gratuitam. Recolantur quae supra innuimus.

Haec fidei veritas ita illustrari potest: nemo propriis viribus ad vitam aeternam pervenire potest; debet enim gratia primum excitari, adjuvari, ad fidem vocari, sanctificari et perseverantiae dono augeri: haec omnia requiruntur tamquam fundamentum aeternae gloriae adipiscendae: porro sive gratia, sive fides, sive perseverantia sunt dona gratuita, quae quodlibet meritum praevertunt: ergo praedestinatio *adaequata* vel in *communi* sumpta, ut loquamur cum Thoma, non est ex meritorum praevisione, sed ex bonitate Dei, cum *media* vel *motiva* aeternae gloriae gratuita sint.

Absolvam verbis Suarez lib. II. c. 20. = Facilis resolutio de tota praedestinatione, scilicet non posse habere causam, quia necesse sit ut primum supernaturale opus procedat ex gratia aliqua, nempe ex vocatione: ergo procedit ex aliquo effectu priori praedestinatione: ergo opus illud non potest esse causa illius gratiae, quia non potest esse causa suae eausae: ergo non potest esse causa totius praedestinationis, quoad omnes effectus ejus. =

Scolion. Antiquis Patribus atque theologis usque ad saeculum XV. distinctio inter praedestinationem ad gratiam, ad fidem etc. et ad gloriam tamquam terminum incomperta fuisse videtur: praedestinationem *adaequatam*

vel *completam* considerabant, unde haud difficile intelligimus cur praedestinationem ad gloriam, modo gratuitam, modo debitam praedicaverint.

Thes. XXXV. Cum divina praedestinatio considerari possit tum in *intentione*, tum in *executione*, proposita duplici scholae sententia invicem repugnante, contendimus, auctoritate Patrum et Scripturae praedestinationem adultorum ad gloriam non voluntati antecedenti, sed consequenti meritorum praevisionem tribui oportere.

Dem. I. p. Actus divinae praedestinationis aeternus, immutabilis etc. considerari potest in se, in *actu* primo, *in principio*, in *intentione*, vel in *actu secundo*, in *termino*, in executione; quae distinctio verissima est, dummodo varii praedestinationis respectus prae oculis habeantur. Verum si praedestinatio spectetur in se, *in actu primo, in principio, in* mente seu *intentione* Dei, quaestiones plures eaeque implicatissimae oriuntur. Praedestinatio enim divina plures ex parte ipsius Dei includit actus ratione distinctos, idest dilectionem, electionem ad *fidem*, ad *gratiam*, ad *perseverantiam*, et ad *gloriam*.

Quamquam autem apud omnes catholicos in confesso sit, prae termino, seu in executione praedestinationis, requiri hominis cooperationem saltem ut *medium*, tamen acriter disputatum est utrum in actu primo, in intentione, Deus prius gloriam vel gratiam electis tribuere decreverit.

En sententiae, quae in scholis catholicis libere traduntur.

I. Schola Thomistica affirmat, Deum ante omnia praevisa merita quosdam ad gloriam praedestinasse: et

iste est actus primus voluntatis divinae: deinde iisdem vocationem ad fidem, ad gratiam qua infallibiliter ad gloriam perveniant, decrevisse; qui est actus secundus divinae voluntatis. In hoc igitur systemate praedestinatio est causa infallibilis gratiae, et quidem *efficacis* ab *intrinseco*, ut ajunt, deinde meritorum quae sunt *media*, non *motiva*, gloriae obtenendae.

II. Schola Augustiniana tenet, omnes homines, post originale peccatum, esse damnatorum massam, ex qua damnatorum massa, Deus quosdam eligit, et ad gloriam praedestinat, deinde ad gratiam, ad perseverantiam etc: itaque in Augustiniana sententia, sicut et in Thomistica, actus primus divinae voluntatis est ille, quo gloriam quorundam vult, et praedestinat; actus secundus, primi effectus, est ille, quo praedestinatis ad gloriam, gratiam necessariam et efficacem largiendam decernit. Hinc apparet discrimen inter Augustinianam et Thomisticam doctrinam, laevissimum esse, atque *practice* et in praesenti aeconomia eas in unam recidere. In utraque enim sententia praedestinatio ad gloriam est causa praedestinationis ad gratiam etc; in utraque sententia illi qui ante praevisa merita ad gloriam eliguntur *necessario* salvantur; illi vero qui ad gloriam non praedestinantur, necessario damnantur.

Augustinus videtur revera hanc tenuisse doctrinam, ut exploratum erit ejus opera perlegentibus, et comparantibus, et Petavius ostendit.

III. Est et aliud systema plurimorum theologorum et *practice* omnium christianorum. Dicunt, Deum primum eligere et praedestinare ad gratiam; deinde praevidere bonum vel malum collatae gratiae usum: quos

praevidet gratia bene usuros, ad gloriam, quos praenovit gratia male usuros, ad poenam praedestinat. In hoc systemate actus primus divinae voluntatis est decretum omnibus, licet diverso modo, conferendae gratiae: actus secundus est decretum, vel gloriae, vel damnationis, prouti bonus vel malus usus gratiae postulat. Patet igitur in hoc systemate illud esse effectum, quod in aliis duobus systematibus est causa, et illud causam, quod in istis ut effectus exhibetur.

Quibus praestitutis systematibus praedestinationis, quae in Ecclesia libere traduntur, tertium propugnandum aggredimur, et dicimus praedestinationem *inadaequatam* ad gloriam esse post *praevisa merita.*

Praecedant Scripturae: Psal. 61. 12. = Tu reddes unicuque secundum opera sua. = Job. XXXVI. 11. = Opus hominis reddet ei, et juxta viam singulorum restituet eis. = Ad Rom. 11. 2. = Scimus quoniam judicium Dei est secundum veritatem, et reddet unicuique secundum opera sua. = Ad Galat. VI. 8. = Quae seminaverit homo, ea et metet. = Ex quibus deducimus judicium Dei gloriam vel poenam rependentis, ex operibus uniuscujusque pendere. Ergo etc.

Scripturae iterum atque iterum gratiam et gloriam distinguunt; illam gratuitam dicunt, ante praevisa merita collatam: gloriam e contra exhibent ut meritorum coronam et mercedem. 2. ad Timoth IV. 7. = Bonum certamen certavi.... in reliquo reposita est mihi *corona justtiae,* quam reddet mihi Dominus. *justus judex* etc. = II. Corintih IX. 6. = Qui parce seminat, parce et metet. etc. = Confer Joan. V. 29. et Matth XX parabolam de operariis in vineam missis. et XXV. 14

de talentis. Lucae. XIX. 12 et seqq. Marci X. 17 et Matth. XIX. 16. = Si vis ad vitam ingredi serva mandata: = I. Corinthiorum IX. 24 XV. 10. II. Petri I. 10 = Quapropter magis satagite ut per bona opera vestram vocationem et electionem faciatis. = Denique legantur verba Christi apud Mattheum XXV. 35. — 45 quibus continetur sententia divini judicis extremo die proferenda, ex qua novimus, ideo malos damnandos quia male se gesserunt, et bonos ideo ad gloriam vocandos quia bona operati sunt. Alia pene innumera Scripturarum testimonia omitto, nec ad Patrum sententias provocandum esse arbitramur, qui eadem omnino ubique praedicant. Obvia et naturalis Scripturarum et Patrum doctrina postulare videtur praedestinationem ad gloriam fieri meritorum intuitu, et ut effectum, minime vero ut meritorum causam exhiberi.

Neque e mente excidat doctrina supra late ostensa, idest Christum pro omnibus mortuum esse; non enim facile haec duo componi possent, scilicet Deum ante praevisa merita non omnes ad gloriam praedestinasse, (et non praedestinati ad gloriam pereunt) et tamen pro omnibus mortem oppetiisse et sanguinem fudisse.

Idipsum egregie confirmatur ex voluntate Dei antecedenti salutifera, quae ad omnes homines extenditur.

Hanc propositionem quibusdam theologicis observationibus absolvamus: I. Juxta regulam Lirinensis, veritatis revelatae certissimi characteres sunt antiquitas, consensio, universalitas: porro doctrina nostra tum antiquitate, tum consensione, tum universalitate firmatur; sane, ab apostolica aetate usque ad Augustinum, ne unus quidem est Pater qui diserte docuerit, praedesti

nationem ad gloriam, *sensu inadaequato*, merita praevertere: post Augustinum pacifice usque ad saeculum XV. obtinuit; Thomas enim, ni fallimur, controversiam de praedestinatione ad gloriam, sensu *adaequato, non inadaequato*, consideravit, ut videre est q. XXIII. art. 5 in corpore et ad I.

II. Haec nostra doctrina, non modo in scholis plerisque catholicis omnibus traditur, sed in templis fidelibus annuntiatur; contrariam vero sententiam nemo publicis concionibus defendere auderet.

III. Ex plurimis opinionibus liberis, illa praeferenda videtur, quae tum humanae rationi magis cohaeret, tum pietatem fovet, tum divinae bonitati magis congruit: talis profecto est nostra sententia.

IV. Ut docet Canus, et populorum christianorum suffragium locus theologicus censeri debet, ut agentes de traditione probavimus: pro qua sententia fidelium popolorum suffragium militet, nemo ambigere potest. (Confer Vasquaz disp. 89 in I. p. Thomae c. 1. et seq. et potissimum Lessium disq. de Praedest. et. lib. II. sent. 2. et seq.) ad quem S. Franciscus Salesius scribebat: = Nostram sententiam antiquitate suavitate et nativa Scripturarum auctoritate esse nobilissimam, Dei misericordiae et gratiae magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem. = Videte etiam Petavium praesertim lib. X. c. 11.

Opp. I. Scripturae Sacrae (Ephes. I. 4 et seq. Act. Ap. XIII. 48. Rom. VIII 29 et seq.) perspicue docent, electos ad gloriam praedestinari gratuito omnino et ante praevisa merita.

Resp. Haec loca rem non evincunt, siquidem prae-

destinatio hic sumitur sensu *adaequato*, scilicet ad gratiam et ad gloriam, quae utique est gratuita.

Opp. II. Tota Epistola ad Romanos eo tendit, ut probetur electionem et gloriam non ex meritis, sed ex divinae praedestinationis firmo proposito repetendam esse.

Resp. Epistola ad Rom. eo spectat, ut demonstretur vocationem ad *fidem*, ad *gratiam*, et praedestinationem ad gloriam *complete*, *adaequate* esse ante praevisa merita, concedo: praedestinationem ad gloriam *incomplete* etc. nego. Paulus totus in eo est, ut ostendat neque Hebraeos operibus legis, neque gentiles operibus nature justificari posse, sed gratis vocari et justificari, ut epistolam bene legentibus patebit. Perbelle hoc probant Bernardinus a Piconio. (Triplex expositio in commentario hujus Epistolae) et Michovik noster in explicatione ejusdem Epistolae etc.

Opp. III. Paulus ad Rom. IX. 11. et seq. sub typo Jacob et Esau exhibet praedestinationem ad gloriam factam antequam electi aliquid boni vel mali egerint.

Resp. 1. Hic Paulus verisimilius loquitur de bonis temporalibus, ut ex contextu et parallelismo cum Genesi XXV. 23. Malachia 1. 2. colligi potest. 2. In hoc capite agitur de electione simul ad gratiam et gloriam, non tantum ad gloriam. 3. Nimis probaret si ad litteram sumeretur textus; probaret enim reprobationem ante praevisa merita, quae est Calviniana doctrina. 4. Est locus iste satis impeditus, unde neque probationes, neque difficultates graves ex eodem peti possunt.

Opp. IV. Finis operis media necessario praevenit in mente operantis; jam vero gloria electorum est finis, gratia, fides et merita sunt media ad gloriam adipiscendam.

Ergo Deus prius ad gloriam praedestinat, deinde ad gratiam. etc. tamquam ad media.

Resp. Nihil impedit quominus finis intelligatur sub conditione. Sic itaque respondemus: Deus praedestinat prius ad gloriam, tanquam ad finem ultimum, distinguo: ad gloriam, *impleta conditione meritorum*, concedo; absque ulla meritorum conditione, nego.

Opp. V. Augustinus et Thomas propugnant praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita.

Resp. Observandum est: 1. Ante Augustinum inauditam fuisse hanc doctrinam. 2. Augustinum nostram non improbasse doctrinam. 3. Disseruisse contra haereticos, qui praedestinationem gratuitam ad gratiam simul et gloriam inficiabantur. Quoad Thomam fere eadem reponi possunt, cum ea tempestate praedestinatio non fuerit considerata sensu *inadaequato*, ut supra diximus: unde et Thomas opponi non potest, imo nostrae sententiae suffragari videtur. (loc. cit. q. XXIII. art. 5).

Opp. VI. Data praedestinatione, Deus videretur personarum acceptor.

Resp. Si sermo sit de praedestinatione ad gratiam, nego; quia nihil debet: si ad gloriam, distinguo, ante praevisa merita, transeat; post preaevisa merita, nego.

Opp. VII. Posita praedestinatione, consequens videretur, nihil Christianis de salute curandum esse; quidquid enim agant, immutabile praedestinationis decretum impleri debet.

Resp. Si praedestinatio esset ante praevisa merita, transeat: post praevisa merita, negamus.

Thes. XXXVI. Doctrina Calvini, Bezae aliorumque novatorum de *absoluto* et *antecedenti* reprobationis decreto,

etiamsi accipiatur, ut postea ab Infralapsariis et Jansenistis emollita fuit, manifesto ut haeretica convincitur.

Dem. Jam inde a prioribus Ecclesiae saeculis, praesertim apud quasdam gnosticorum sectas, ut Valentinianos, Basilidianos etc. (Irenaeus lib. I. 8. Tertull. Epiph. Heres. XXXII. 3. etc.) sententia praedestinationis ad peccatum et damnationem invaluit. Tempore Augustini eadem doctrina in Africa apparuit. (Prosper. ad Aug. Epist., August. ipse Retract. I. II. lib. 67) et deinde in Gallia meridionali, eadem aetate et paulo post, renovata fuit a Lucido presbytero, qui in Concilio Arelatensi anno 475 damnatus est. Media aetate monachus Gotescalcus, Augustini doctrinam pervertens, praedestinationem ad mortem ante praevisa merita instauravit. Sed Concilia Maguntinum, Carisiacum et Valentinum rursus eamdem doctrinam anathemate percusserunt. Post Scotum Erigenam, qui inter scientiam Dei ejusque voluntatem identitatem defendebat, Wiklefus, Joannes Huss, Wesel, et Calvinus audacius praedestinationem ad peccatum et perditionem ante praevisa merita propugnarunt. Calvinus docet. I. Deus ab aeterno, quin merita vel demerita attendat, homines partim ad vitam, partim ad mortem praedestinat; quos vult, salvat, quos vult, damnat, et ideo vel salvat, vel damnat quia vult. II. Hinc Deus vult, ut quidam non peccent, ut eos salvet; quidam autem peccent, ut eos ad mortem perducat: neque tamen III. Deus est auctor peccati, siquidem Deus in peccatoribus quosdam fidei et justificationis sensus et desideria excitat, ut inexscusabiles sint. (Vide Calvin. Instit. lib. III. 21. 22. 23. Confess. Gall. c. XII. Belgic. XVI. Synod. Dordrectanam c. I. art. VI.)

Quam horrendam doctrinam Jansenius emollire conatus est hoc modo: Deus omnes homines peccato originali infectos videt: ex hac massa peccatorum ante praevisa merita quosdam seligit et vult salvos, quosdam autem rejicit: illos gratia invincibili ad salutem perducit, istos hac gratia destitutos infallibiter damnat. Calviniani dicti sunt praedestinatiani *antelapsarii,* Jansenistae praedestinatiani *infralapsarii.*

Calvinianum dogma et Janseniana doctrina inter haereses recenseri debent. Trident. Sess. 6. c. XVII. = Si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit; reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate ad malum praedestinatos, anathema sit. (Confer. canon. XVIII. Concil. II. Arausicanum. 3. c. 25.

Sacrae Scripturae tam detestabilem errorem disertissime repellunt: (*a*) locis citatis et enarratis 1. Timot. Exechielis XVIII. 23. Petri II. III. 5. Repellunt (*b*) ad Rom. II. 8. 9. Matth. XXV. 44. et seq. iisque omnibus locis in quibus damnationis poena propter peccatum inflicta dicitur, et perditio humanae voluntati tribuitur. Repellunt (*c*) Patres omnes, quos supra thesi 27. protulimus, quibus alii plures addi possunt, quos inter, aliis sepositis, unum Augustiuum audiamus: = Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quempiam sine malis meritis damnare, quia justus est. (Contra Jul. lib. III).

Calvinianum dogma ipsius Dei naturalem et philosophicam notionem penitus tabefactaret. Nanque 1. Deum ipsum scelerum auctorem fingeret: peccatum enim ha-

beretur, volente et instigante ipso Deo, ut postea poenam infligere posset, et ita majestatem et justitiam manifestare. 2. Fingeret Deum simulatorem, quippe qui quosdam affectus pios excitaret ad fidem et gratiam, sed revera neque fidem, neque gratiam concedere vellet. 3. Fingeret Deus injustum, tyrannum omnium scelestissimum etc. (vide Petavium lib. X. c. 13, 14 etc).

Opp. I. Ad Romanos. IX. 11. et seq. ex professo Paulus docet, homines ad reprobationem destinari ante praevisa merita seu peccata, indurari, excitari ad ostendendam Dei virtutem, eligi vasa in contumeliam etc. Ergo etc.:

Resp. Vide responsum jam supra datum, quod attinet ad hoc caput Epist. ad Rom. Animadvertendum est, generatim malos indurari a Deo, excitari in ostensionem justitiae, non quatenus hoc velit Deus voluntate *antecedenti*, sed *consequenti*; gratia enim, cui homines resistunt, eosdem indurat, et praesupposita hominum malitia et obstinatione, divina justitia et potentia manifestantur.

Praeterea, testimonium Pauli praesertim v. 16. et 21 eo spectare videtur, ut divinam misericordiam extollat, et hominum naturalem impotentiam et imbecillitatem ad gratiam adipiscendam evidentius declaret.

Opp. II. Proverb. XVI. 4. legimus: = Propter semetipsum universa operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum. = Ergo etc.

Resp. Etiam malum creavit Deus ad gloriam suam, praesupposita culpa voluntaria, concedo; non praesupposita, nego. Sic solvi possunt plures ejusdem generis difficultates. Absolvamus verbis S. Prosperi = Nemo a Deo ita creatus est ut pereat, quia alia est causa

nascendi, alia pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium; ut autem pereant, praevaricationis est meritum. =

Vide Thomam Cont. Gentes lib. III. c. ultimo. et Summa I^{a} p. q. XXIII. art. 3. quibus in locis tuetur Deum reprobare malos propter peccatum, quod permitit. Liceat tamen, tanti Doctoris reverentia, fidenter dicere, nobis rationem loquendi, et reprobationis doctrinam iis locis expositam durissimam videri.

Thes. XXXVII. Sententia illorum theologorum, qui reprobationem *negativam* voluntati Dei *antecedenti* accensendam esse existimant, sicut non facile conciliari posse videtur cum sincera et universali Dei salutifera voluntate, ita a positiva reprobatione parum differre videtur.

Dem. Catholici omnes Theologi contra Calvinistas uno ore affirmant, peccatum esse solam et veram positivae reprobationis causam proximam. At si quaeratur cur isti peccent, et ideo damnentur, illi non peccent et salventur, vel si peccant, resipiscant, et ad gloriam aeternam perveniant, non est eadem theologorum sententia, ut ex supra dictis de variis praedestinationis opinionibus, manifestum esse debet. Sunt theologi qui dicunt, Deum ante praevisa merita quosdam *positivo decreto* a *gloria*, tamquam a *dono supernaturali* atque adeo *indebito* excludere, sed neminem ad poenas aeternas addicere, nisi praeviso peccato vel originali vel actuali: et in hoc tantum a Calvinistis, caeterisque *praedestinatianis ante et infralapsariis* differunt, ut isti reprobos ad mortem damnent *positivo decreto*, quin Deus ad eorum peccata attendat; isti autem theologi positivum damnationis de-

cretum ex praeviso peccato repetant. Sunt et alii theologi qui defendunt, Deum quosdam ante praevisa merita ad gloriam destinare, illisque gratiam *efficacem* conferre, qua *infallibiliter* salvantur; quosdam autem non praedestinare ad gloriam, sed *relinquere*, et quoad eosdem *negative* se habere, qui idcirco infallibiliter peccant et pereunt. Denique sunt et alii theologi, qui contendunt, Deum neminem a gloria neque *positive*, neque *negative* ante praevisa merita excludere, sed tantum eos, quos peccaturos esse et in peccato morituros praenovit. (Vide de hac re Francis. Suarez de Reprob. lib. V. c. 5).

Quibus praestitutis, tenemus, utramque sententiam de *positiva* et *negativa* exclusione a gloria ante praevisa merita voluntati universali et salutiferaé Dei repugnare videri.

Verum enimvero: *a*) In Scripturis rite enárratis hujus positivae, vel negativae exclusionis ante praevisa merita a gloria, cum qua necessario nectitur damnatio aeterna, ne vestigium quidem invenitur; loca enim, ad quae provocant, aliter accipi possunt, ut ostensum est supra quoad caput IX. ad Rom; ergo sententia Thomistica et Augustiniana, sive rigidior, sive mitior biblico fundamento caret. *b*) Imo utraque sententia plurimis biblicis testimoniis reprobari videtur. Confer. loca supra citata in thesi XXVI. *c*) Velint nolint patrocinatores sententiae, quam refellimus, seposito Augustino, et Thoma, quorum tamen mens non videtur satis explorata, eorum doctrina majoribus nostris orientalis et occidentalis Ecclesiae incomperta est. Imo *d*) eam tum graeci, tum latini Patres repellere videntur, cum firmissime teneant, Deum voluntate antecedenti, eaque vera, faecunda etc.

omnium omnino hominum velle salutem. *e*) Eidem sententiae refragatur idaea infinitae bonitatis Dei, tot auxiliis gratiae, tot salutis mediis, tot charitatis pignoribus luculenter patefacta. *f*) Eidem refragari videtur sensus fidelium et Ecclesiae, quae pro omnibus orat, omnes ad salutem vocat, bene de omnibus sperat, de nullo peccatore desperat: etc. *g*) Eidem refragatur sensus populi christiani, qui hanc doctrinam, si clare et publice enunciaretur, horresceret. *h*) Haec sententia animos in desperationem facile induceret, et humanae energiae nervos praecideret. *i*) Discrimen inter hanc sententiam de *positiva* et *negativa* exclusione a gloria et Calvinianam atque praedestinatianam haeresim, quamvis non inficiemur, vix tamen distinguere possumus. *j*) Sententia nostra facilius difficultates omnes solvit. *l*) Quod vero pertinet ad exclusionem *negativam* a gloria, quae est mitior opinio, observandum venit, haud facile eam concipi et admitti posse. Etenim quis sibi persuadere poterit, Deum quoad plurimos homines et fortassis quoad maximam partem *negative* se habere, eosque neque ad gloriam neque ad poenam praedestinare? Deus creaturas omnes diligit, eisque bonum vult: = amor enim, scribit Augustinus (in Psal. 121), habet vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis. = Magis igitur consentaneum videtur affirmare, Deum ad gloriam omnes praedestinare, dummodo gratiae morem gerant, et in gratia perseverent; si secus se gesserint, eos reprobat; et ut rebelles flammis aeternis cruciandos tradat.

Non sine fructu legi poterit liber X. Dionysii Petavii.

TRACTATUS DE TRINITATE DEI

PROLEPSIS

Disputationi de Deo, ejusque natura, atque proprietatibus altera non minus necessaria, et fortassis difficilior succedit, quae est de Personarum Trinitate. Hoc alterum doctrinae caput, quod cum antecedenti penitissime conjungitur, ad ea pertinet catholicae fidei principia, quae omnes, etiam simpliciores fideles, profiteri tenentur: hoc autem catholicae fidei caput et fastigium ab innumeris haereticis varie oppugnatum fuit, quorum cathalogum, tum eruditionis, tum etiam scientiae causa, breviter praetexere operae praetium erit.

Primum occurrunt Patripassiani, (Cypriani Epist 78), qui personarum distinctionem auferentes, Patrem quoque passum esse asserebant. Noetus, (Epiphan. Haeresi 75.) Sabellius, (Haeresi 41), Paulus Samosatenus, (Athan. de Sal. Adv.) personas divinas distinctas negabant, vel dis inctionem *nominalem* introducebant, unde inter Trinitatis hostes merito recensiti fuerunt. Paulo serius Ariani, et Semiariani, Photiniani etc. ut omnibus notum est, Trinitatis dogma labefactabant; distinctionem enim personarum eo usque urgebant, ut consubstantialitatem rejicerent. Seriori aetate Bogomili (Eutym. Panopl. P. II. T. 123.).

Servetus (De Trinit. erroribus etc.), plures sectae protestantes, ut Arminiani, et Puritani; et ante eos Roscelinus, (Anselm. lib. II. epist. 41). Abbas Joachim etc. qui Trinitatem, ut antiqui Sabelliani, nomine tenus admittebant. Cui explicationi plus minusve subscribunt rationalistae nostrae aetatis Galliae et Germaniae, ut Cousin (Methode à suivre pour l' histoire de la philosophie etc.), Michelet, (Histoire de France tom. I. p. 439.), Bauder, (In Ephem. Eccles. ann. 1830. N. 71. 72.). Hegel, (Philosoph. Relig. tom. XI. p. 140), et alii fere omnes rationalisticae scolae, qui Trinitatem catholicam putant nihil aliud esse, quam ideam *infiniti* et *finiti,* et *relationis inter utrumque,* vel triplicem Dei manifestationem in *lege*, *in Evangelio*, et *in Ecclesia,* vel esse *potentiam*, *amorem*, *et spiritum*, vel tandem esse ipsum *ens consideratum in se*, *in evolutione necessaria externa* (quam creationem ipsi dicunt), et in *reditu quodam ad unitatem*, et *manifestatione coscientiae,* qua Trinitas *logica* completur.

Antequam tractationem ineamus, potestatem et usum vocabulorum, quae frequentanda erunt, determinare juverit, ne confusio oriatur. Tota elocubratio ad duplex caput revocatur, ut ipsa objecti natura, de quo agimus, postulat. In Deo enim habemus id quod est *unum,* seu *commune,* vel *absolutum* (scilicet essentia) et id quod est *varium, particulare*, *relativum* (personae distinctae). Hinc duplex vocabulorum ordo, qui duplici objecto respondeat: aliae enim sunt voces, quae ad id quod est *commune,* aliae ad id quod est *particulare* referuntur.

Vocabula quae designant quod est *commune*, *absolutum,* et *unum,* sunt *essentia, substantia, existentia,*

natura, et apud graecos non infrequenter etiam *hypostasis* (*υποστασισ*): vocabula vero, quae ad id quod est *particulare, relativum*, et *varium* referuntur, sunt *subsistentia, suppositum, persona*, et etiam, *hypostasis*.

Essentia (*πο ειναι*) est id, quo res est quod est: essentia est quod prius in re menti occurrit, principium et origo proprietatum omnium, quae ex ipsa sobolescunt, et quo constituitur quiddam sui generis a caeteris distinctum. (Vide Storchenau Ont. sect. c. 2. et Svicerum Th. etc.)

Substantia (*ουσια*) juxta Augustinum (de Trinit. lib. VII. 1. 4.) latine non aliter quam essentia solet intelligi, et nunc horum vocabulorum usus communis est apud omnes theologos. Substantia, proprie et ethimologice significare videtur *id quod stat sub accidentibus proprietatibus* et stat in se, non in alio, adeoque in existendo independens est. = Substantia, sic Damascenus (Dialec. c. 4.) est res *αυϑυπαρκτον* (independens, a se,) neque alio indigens ad subsistendum. =

Existentia jure dicitur *essentia in actu*: existere perinde est ac dicere *sistere ex*, ab alio substantiam habere, et melius fortassis vox ista, ut observat Vico in Scientia Nova, usurpatur de rebus creatis, quae existentiam a Deo mutuantur: tamen potest significare ipsam Dei essentiam, quatenus est actu vere existens, dummodo animadvertamus, rationem divinae existentiae esse in ipsa divina essentia.

Natura (*ουσισ*) a nasci, quamvis plus semel apud latinos et Italos significet *res existentes*, vel etiam *proprietates inhaerentes*, et modum proprium existendi, tamen ethimologice significat id quod ab alio nascendo

habet quod est. Usus autem communissimus postulat, ut dicamus naturam nihil aliud esse quam essentiam, principium operationis etc.

Subsistentia est modus, quo substantia quaelibet completur, et determinatur, suique fit juris.

Suppositum (vocabulum a schola invectum) parum differt a subsistentia, et significat substantiam completam, individuam et principium integrum habentem suae operationis. Unde, ut notant theologi, corpus, anima, mens, seorsim sumpta, dici non possunt *supposita*, siquidem singula ab aliis pendent neque vere sui juris sunt.

Persona, (*προσοποσ*) definitur a theologis cum Boetio: = Naturae rationalis individua substantia. = (lib. I. de duobus naturis.)

Quae Boetiana definitio optima est, dummodo illud *individua* aequipolleat voci *incommunicabilis*; secus in Deo una tantum persona statui videretur, sicuti una est et substantia. S. Thomas Boetianam definitionem ex professo tuetur. (I. 1. q. XXX. art. I.), qui utiliter consuli poterit.

Hinc manifestum est, quod judicium ferendum sit de definitione D. Maine de Biran: = Voluntas est ipsa persona, et omnis persona est ipse ego. = (Ouvres inedites. tom. I. p. 228). Namque etsi voluntas necessario requiratur ad personam constituendam, non est tamen ipsa persona, non homo, sed hominis proprietas. Quilibet videt, hanc definitionem Trinitatem, et Incarnationis dogma subvertere.

Item non est omnibus suis partibus absoluta definitio Jouffroy, (Melanges. p. 248) qui scribit: = Potestas

qua homo pollet potiundi naturalium proprietatum, easque dirigendi, personam constituit. = Haec est notio personae inadaequata, siquidem et aliae facultates humanae non sunt omittendae, sine quibus homo non esset homo, adeoque neque persona.

Quidam alii personam in ipsa conscientia collocarunt; sed male omnino: persona enim esse potest, quin homo sui conscientiam actualem habeat, et persona eidem praeexistit, ut in infantibus. etc.

Persona, ut quae diximus paucis compraehendamus, est *natura rationalis perfecta*, et *ita determinata*, ut *sit sui juris*, *autonoma*, *et ideo incommunicabilis*. = Natura igitur vel essentia etc. designat genus, id quod est commune: persona vero *ultimam determinationem*, *modum existendi particularem*, et quo substantia vel essentia determinatur. etc. (Confer Matignon — La question du supernaturel. ect. Part. 2. Ch. VI. et VII).

Jam supra diximus, in Deo potissimum duo esse distinguenda, scilicet, id quod est commune, et id quod est particulare; et sicut in Deo sunt proprietates, quae ad id quod est commune referuntur, ita sunt et proprietates, quae ad id quod est particulare spectant: illae attributa dicuntur, deque iis supra egimus in tractatu de Deo. Proprietates quae referuntur ad id quod in Deo est *particulare* et *relativum*, et *designant* vel *constituunt* personas, quaeque *incommunicabiles* sunt, ad sequentes revocantur: I. *Innascibilitas* (*αγεννησια*, vel *αναρχια*), quae designat *Patrem*. II. *Paternitas* (*πατροτησ*), qua *positive* Pater constituitur. III. *Filietas* (*υοτησ*), qua Filii persona constituitur. IV. *Spiratio activa* Patris et Filii (*προβολη*), qua Spiritus

designatur. V. *Spiratio*, quae dicitur *passiva* (*εκπορησιο*), qua Spiritus S. in sua personalitate constituitur.

Hae proprietates dicuntur etiam notae vel characteres, aut signa (*ἰδιοτηται*, *σεμεια*, *ιδιωματα*, *χαρακτηρησ*), qualitates personarum, sigillà, ut videre est apud Basilium, Nyssenum, Grysost. Damascenum, Theodorum Abucara, a Petavio citatos. lib. IV. in proaemio. Hinc Basilius lib. II. c. Eunom. = Proprietates, notae quaedam, et formae quae in substántia considerantur, dividunt quod est commune propriis characteribus: at ejusdem communionem substantiae non discindunt. =

In Deo, juxta catholicam doctrinam, origines duae sunt, duae processiones, duae notiones designates, tres proprietates constituentes, ut patebit.

Est quoque animadvertendum, personas distingui per oppositionem inter se, et substantiam non gignere, neque gigni, non spirare, neque spirari, ut videbimus. Quibus positis, disputationem in sequentia capita scindemus. — I. Catholica doctrina Trinitatis non est repetenda ex placitis philosophiae sive graecae sive orientalis, ut rationalistae recentiores fabulantur. — II. Doctrina Trinitatis, licet obscure, Hebraeis comperta fuit. — III. Trinitatis existentiam ex Scripturis et traditione comprobabimus. — IV. Hoc mysterium, nedum rectae rationi adversari, verum etiam posse ab ea quodammodo illustrari. — V. De Persona Pátris. — VI. De Persona Filii. — VII. De Spiritu Sancto. — VIII. De Divinarum Personarum missione.

CAPUT PRIMUM

Catholica doctrina Trinitatis non est repetenda ex placitis philosophiae, sive graecae, sive Orientalis, ut recentiores rationalistae fabulantur.

Thes. I. Fabulantur rationalistae contendentes, Ecclesiam Trinitatis dogma a platonicis et orientalibus philosophematibus fuisse mutuatam.

Dem. Wegscheider, Clericus (Ars critica pag. 11. et) Stahl. (apud Eichorn Bibliot. litter. tom. 10 pag. 826 et seq.) Cudworth (System. intel. c. 4) Pfanner (System. Theol. gent. 1. 3), Mayer (Brahma, seu religio Indorum, p. 37.) Windemann (Hist. doctr. Christ. t. I. pag. 186.) Eichorn, loco cit., Tiedemann, Souverain, Cförrer etc. dicunt, dogma Trinitatis derivari ex principiis platonicae philosophiae, ex opinionibus vel Agyptiorum, vel Indorum, vel Persarum etc, ex Judeis Cabalisticis etc. et deinde paullatim in Libris N. T. invectum fuisse, receptum, propugnatum et plenius explicatum a Patribus Platonicis, ut Clemente Alex. Origene, Augustino et aliis.

Ad tantam refellendam calumniam satis erit haec recoluisse: *a*) Sciunt omnes Haebreos custodes fuisse assertoresque diligentissimos paternarum traditionum, ita ut nihil unquam in Sacris Libris aliquid ab alienis acceperint: quomodo igitur Haebrei Trinitatis dogma a philosophis, vel orientalibus traditionibus mutuati fuissent? *b*) Liber Geneseos profecto omnium librorum antiquissimus est; igitur caeteri populi vel philosophi Trinitatis ideam, quae in Genesi continetur, ab Haebreis

non Haebrei ab aliis susceperunt. *c*) Tertullianus, Athanasius, et alii Patres asserunt, originem haeresum, praesertim circa Trinitatem, Platonicis et Aristotelicis tribuendam esse philosophis: = Quidquid haereseon falsarumque opinionum primis illis Ecclesiae temporibus emersit, ait Petavius, et praesertim Ariana perfidia, ex platonicorum commento causam et originem accepit. = Quis igitur credat, dogma Trinitatis ex platonicis principiis profluxisse, et totam Ecclesiam invasisse? *d*) Repugnat, piscatores Joannem, Jacobum, Petrum, et publicanum Matthaeum Trinitatis fidem a philosophis vel obscuris et ignotis traditionibus graecis vel aegyptiis vel indis hausisse. *e*) Majores nostri dogmata proponentes et defendentes, non ad Platonem, vel ad Philonem vel ad libros Braminos se recipiebant, sed ad doctrinam Christi et Apostolorum, et hujusmodi profana philosophemata rejiciebant. *f*) Nec dissimili ratione Patres in Conciliis collecti se gesserunt. *g*) Prioribus saeculis Christiani pastores, fideles, rudes homines et mulieres, coram tribunalibus fidem Trinitatis profitebantur, pro ipsa excruciabantur, moriebantur; numquid pro placitis philosophicis sanguinem fundebant? *h*) Si orientales opiniones, quod spectat ad Trinitatem, cum catholica fide comparentur, illico apparebit, toto coelo distare: trinitas enim Indiana est emanatio pantheistica, et videtur manifestatio modalis unius substantiae aeternae, in qua omnia absorbentur, ut legimus in Poemate Sacro Mahabarata: alia prorsus est christiana fides de Trinitate. *i*) Quod attinet ad Platonem, de ejus mente circa Trinitatem, disputant ipsius discipuli antiquissimi, et adhuc eruditi discrepant, et in varias abeunt opiniones. *j*) Prudentius

Maran. in Praef. ad opera Justini, et Dionysius Petavius late ostendunt, nihil commune esse inter Trinitatem Platonicam et Trinitatem Christianam. Ergo etc.

Scolion Nihil impedit quominus dicamus, notiones Trinitatis, quas apud plures populos et philosophos invenimus, esse veluti fragmenta divinae traditionis, vel corruptionem fidei Haebraicae et Christianae, minime vero Christianam Trinitatem esse expolitionem philosophiae platonicae vel Indianae etc.

Scol. II. Non satis intelligimus, quo pacto increduli, qui Trinitatem Christianam tamquam deliramentum traducunt, eam, conversa repente facie, ubique videant et philosophicis scholis accenseant. Quid vero dicendum sit de aliis plurimis philosophis, de Philone, de Mercurio Trimegisto, qui nonnulla de Trinitate scripserunt, conferte Petavium. (De Trinit. lib. I. c. 1. 2.)

CAPUT SECUNDUM

Doctrina Trinitatis, licet obscure, Hæbreis fuit comperta.

Thes. II. Dubitari non potest SS. Trinitatis mysterium etiam in V. Æconomia, saltem obscure, fuisse revelatum, ut ex Scripturae testimoniis, et antiquae Synagogae agendi ratione efficitur.

Dem. Quemadmodum sol, est similitudo, quam adhibet Nazianzenus orat. 37, lucem terris afferens, non ipso exortu suo plenum perfectumque efficit diem, sed quibusdam gradibus atque incrementis attollitur, sic cognitio Dei, rerumque divinarum non tota repente hu-

manis mentibus affulsit, sed paullatim ab Adam et Moyse usque ad Christum crevit, et per Christum perfectionis fastigium adepta est: = sic contigit nominatim quod ad Trinitatem spectat: Epiphanio auctore, unitas divinitatis praecipue in Moyse, apud prophetas binarius personarum numerus, in evangelio Trinitas apparuit. Et quamvis doctrina Trinitatis in V. Test. paullo obscurius fuerit revelata, ne imbecilles animi scandalizarentur, dubitandum tamen non est, eam etiam in antiqua aeconomia fuisse aliquo modo manifestatam.

Gen. I. 26. = Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. III. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. = XI. 7. = Venite.... descendamus et confundamus ibi linguam eorum XVIII Ps. 32. 6. Ps. 11. 7. 109. 1. 2. Prov. VIII. etc., quibus in locis Deus numero plurali loquitur, *faciamus*, *descendamus* etc. distinguuntur Pater, Filius, Spiritus, etc. Ergo.

Basilicas ad illud 1. 26. Gen. sic scribit =: Judaei conticescant, Ariani cum suis patribus obumutescant, qui dum unum a consortio divinae operationis excludunt, plures inserunt, et praerogativam, quam servulis donant, Filio denegant.... Non enim Deus sibi servos aequare potest =. Et haec est mens Amb., Cyr. alex., Bas., Epiph., Athan., Chrisologi, Aug., Hil., Prudentii, Fulg., etc. etc.

Praeterea, Christus et Apostoli personarum divinarum Trinitatem haebreis predicarunt: jam vero neque in Evangeliis, neque in epist. apostolicis, neque in scriptis polemicis aetatis apostolicae ullum indicium invenitur, haebreos reclamasse, et Trinitatem impugnasse: Christum ob violatum sabbatum, ob legis transgressiones carpunt,

nunquam de negata unitate, vel de nova Trinitatis doctrina reprehendunt. Ergo haec doctrina apud haebreos vigebat.

Qui legit Philonis opera, Paraphrases Caldheorum, Cabalistarum et veterum Rabbinorum sententias, facile dabit, Trinitatis dogma non fuisse haebreis ignotum. Unde et recentiores protestantes, ut Heugstenberg (Christologia V. testam.), Rosenmüller (Scholiis in Genes.), Dewette (Dogmat..1.) et alii nostrae sententiae suffragantur. (V. Petav. de Trin. 1I I. c. 7. Liebermann etc.).

CAPUT TERTIUM

Dogma Trinitatis probatur ex scripturis Novi Testam. et ex traditione.

Thes. III.ª Oracula SS. Scripturarum clarissime ostendunt, in unitate divinae essentiae *tres esse personas realiter distinctas.*

D. Matt. II 16. 17. legimus = Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua et ecce aperti sunt ei coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.... et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus etc. = Cf. Mar. 1. 10. Luc. 111. 22. Jo. 1. 32. = Videte: 1. Spiritum descendentem sub specie columbae. 2. Videte Jesum, qui appellatur Filius dilectus. 3. Audite Patrem loquentem: en tres distinctae personae.

Rursus Jo. XV. 26. = Cum venerit, ait Christus, Paralictus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhi-

bebit de me. = Heic Christus seipsum exhibet distinctum a Patre et a Spiritu S., quem missurus est: tres igitur sunt personae distinctae, Pater, a quo, Filius, qui mittit, Spiritus S., qui mittitur: ergo.

Cf. Jo. XIV. 16. coll. 8 et seq. ejusd. c. et I. Jo. V. 7. Act. II. 32. seqq. VII. 55. Rom. XV. 30. I. Cor. VI. 11. XII. 4. 5. 6. II. Cor. I. 19. 20. 21. XIII. 13. Gal. IV. 6. II. Thessal. II. 14. 15. etc. etc. in quibus omnibus locis sermo est de Patre, de Filio et de Spiritu S., et ita quidem sermo est, ut clarissime appareat, alium esse Patrem, alium Filium, alium Spiritum S., cum relationes sibi mutuo opponantur, et per pronomina personalia, *ego; tu, ille, me, alium,* etc. designentur. Ergo.

Non est omittendum classicum illud testimonium Matt. XXVIII. 19. coll. Jo. X. 30. XVI. 13. 15. Matt. III. 16. 17. Christus Matt. XXVIII. 19., quod ante significaverat, et promiserat, solemnissimis verbis praescripsit, scilicet baptismum, et formulam fidelium initiandorum: = Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. etc. = Praestat hanc baptismi fosmulam ad hermeneuticas regulas exigere. Sane: distinctionem personarum evincimus *a*) ex particula *et,* qua personae distinguuntur et simul copulantur. *b*) Ex nomine singularum personarum, quod distinctas ideas necessario postulat; idea enim Patris non potest esse idea Filii etc. *c*) Ex vocabulo *in nomine* vel in nomen (*εισ το ονομα*), siquidem hoc vocabulum *in nomine* vel *in nomen*, id est in virtute, in potestate, vel auctoritate, exigit, ut nomina, quae sequuntur sint *personae d*). Pater, Filius et Spiritus S. vel significant

essentiam Dei, vel *attributa*, vel personas divinas: procul dubio non possunt significare *directe* et *immediate* divinam essentiam, quia repugnat sensus, repugnant verba: non attributa, quia rursus ratio loquendi non sinit et nemo ita desipiet, ut dicat, haec verba sic verti posse: Baptizantes eos in *nomine*, scillicet *auctoritate* etc. *attributorum*, quae sunt proprietates, quae nullam dicunt oppositionem ad invicem: at e contra locutiones istae oppositionem personarun *directe* important, cum Pater non possit esse Filius, neque Filius Pater, etc. Ergo restat, ut formula ista non de substantia divina, vel de attributis sumatur, sed de distinctis personis.

Cf. etiam celebrem v. 7. V. I. Jo. = Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus S., et hi tres unum sunt =. Satis est hanc formulam legere, ut distinctio personarum menti occurrat; voces enim sunt distinctae *Pater*, *Verbum* et *Spiritus S.;* deinde adjectivum numerale *tres*, pronomen *qui* et *hi*, verba plurali numero adhibita *sunt*, *dant* etc. personarum distinctionem evidentissime ostendunt.

Cum vero biblici rationalistae, ut Michaëlis, Griesbach, Cellérier, Semler, Wegscheider, Scholtz, Georgius Rosenmüller aliique hujus testimonii genuinitatem inficiantur, illudque serius insertum dicant, necesse est, ipsam genuinitatem demonstrare: cum autem demonstratio genuinitatis hujus loci sit opus satis longum, ad. AA., qui hac de re scite disputarunt, vos recipite: cf. inter alios Visemann *epist. duae* etc. Joseph Bianchini, Vindiciae Canonicarum Script. Perrone de Trin. prop. II. c. II. etc. Franzelin de Trinitate etc.

Demonstrata Trinitate personarum, reliquum est, ut

iisdem locis biblicis unitatem substantiae breviter adstruamus.

Ex cit. loc. tres personae, Pater, Filius, et Spiritus S. exhibentur: 1. ut habentes eandem potentiam et auctoritatem, ut apud Matt. XXVIII. 19. etc. — 2. Ut una sit in altera et vicissim. — 3. Ut una ab altera procedens per *emanationem*, non per *creationem*. — 4. Ut perfectissime se cognoscant, et, una cognita, altera quoque cognoscatur. — 5. Ut, quod una facit, altera quoque simul faciat: sic Pater, Verbum et Spiritus S. simul creant, sanctificant, inspirant, etc.; actio autem communis communem substantiam supponit. — 6. Diserte substantia dicitur eadem; ego et Pater unum sumus etc. — 7. Ex aequo tribus personis baptismo renati consecrantur, quod absurdum et impium foret, si una eademque communis non esset natura. Ergo.

Quae demonstratio clarior et plenior evadet, cum de singulis personis suo loco dissseremus.

Opp. 1. Nunquam Scriptura diserte Trinitatem docet, eamque primus invexit Tertull. Ergo.

R. Vocabulum Trinitatis non continetur in Scripturis C. Veritas, quae per vocabulum Trinitatis effertur N. = Non occurrit in s. Litteris, et originem ducit a Tertull. vel ab alio ex Patribus N.

Opp. 2. Verba Matt. XXVIII. 19. sic explicanda videntur: Baptizantes eos in nomine Patris Dei, Christi filii adoptivi, et virtutis divinae.

R. Haec interpretatio sociniana refragatur textui, non potest componi cum vocabulo *in nomine*, repugnat sanae rationi; quandoquidem eadem auctoritas idemque cultus personis natura diversissimis tribueretur, et per-

sonae et attributa perperam permiscerentur. Vide explicationem.

Opp. 3. Loca biblica, quae Trinitatem statuere videntur, accipi possunt sensu quodam lato et methaphorico.

R. Si Hermeneutica permitteret T.; secus, N.

Opp. 4. Trinitas biblica sic explicari debet: est Deus Pater omnium, Christus omnium creaturarum nobilissimus et quasi Deus, qui amore perfectissimo Deo conjungitur.

R. Et haec est doctrina a rationalistis biblicis invecta, C.; doctrina biblica, N. In oraculis enim supra allatis de personis distinctis eandem substantiam possidentibus et natura aequalibus sermo est.

Opp. 5. Ubique Scripturae Dei unitatem stabiliunt et politheismum damnant. Ergo.

R. Unitatem Dei stabiliunt quod attinet ad substantiam, C.; ad personas, N.: damnant politheismum, C.

Opp. 6. Christus, alloquens Patrem (Jo. XVII. 3.), docet, Deum *verum*, idest Deum sensu proprio, solum esse Patrem. Ergo.

R. Patrem verum et solum Deum esse ad exclusionem idolorum, falsorumque numinum, quae Pagani sibi fingebant, C.; ad exclusionem Filii et Spiritus, S. N.

Cf. Maldonatum in enarratione istius testimonii.

Caeteras difficultates videte expeditas apud Theologos.

Thes. IV. Fidem in Deum Patrem, in Deum Filium, in Deum Spiritum S. tres distinctos, qui Deus unus sunt, Patres trium priorum saeculorum adversus haereticos diserte propugnarunt.

D. Cum Patres, qui floruerunt ante Nicaenum in suspicionem vocati fuerint, perinde ac de Trinitate male

senserint, eorum suffragio veritatem roboratam volumus.

Clemens Rom., 1. Cor., ubique passim loquitur de Patre, de Filio et de Spiritu S., et inter alia haec praeclara habet: = An non unum Deum habemus (Patrem, ut apparet ex comparatione cum aliis personis), et unum Christum, et unum Spiritum gratiae effectorem in nos? = Ex eodem Clem. citat Basilius haec verba. = Vivit Deus, et Dominus noster Jesus Christus, et Spiritus S. = Quilibet intelligit, Clementem tres distinguere personas, eisque aequalem tribuere dignitatem.

Ignatius M. ad Magnesianos: = Studete ut confirmemini in dogmatibus Domini.... in Filio, in Patre et Spiritu S. = En distinctio, et simul aequalitas personarum.

Justinus in apol. majore, et praesertim in dial. contra Tryphonem hebraeum, nominat Patrem seu Parentem universorum, Filium seu Verbum et Sermonem, qui incarnatus est, qui *numero alter est, non tamen recisione, ac si Patris substantia secetur, ut caetera omnia divisa et secta sunt* =. Et in apol. 1. dicit, primo loco esse Deum Patrem, secundo Filium, tertio Spiritum propheticum.

Irenaeus l. 3. loquitur de *Spiritu descendente,* de *Filio Dei Unigenito,* qui est *Verbum Patris.* =

Nolumus Athenagoram praetermittere, qui in apol. pro christianis c. X. scribit: = Filius Dei, Verbum Patris in idea et operatione: ab ipso enim et per ipsum facta sunt omnia, cum sit unum Pater et Filius, et sit in Patre Filius, et in Filio Pater unitate et virtute Spiritus. =

Omissis Theophil. Antioch. l. II. c. 15., qui apud graecos prior usus est vocabulo Trinitatis (τρισ), Me-

thodio, Hyppolito Portuens., Greg. Taum., Clem. Alex., Origene, Cypriano, etc. auctoritate Dionysii Alex. et Tertull. absolvam.

Dionysius haec habet: = Sabellius blasphemat Filium, asserens esse Patrem, et e converso Patrem esse Filium. At isti (tritheistae) tres quodammodo Deos praedicant, dum Sanctam Monadem dividunt in tres hypostases peregrinas a se invicem separatas. Necesse est unire omnium Deo Dei Verbum, et in Deo manere et habitare Spiritum S. Jam vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam ac summam Deum universorum colligi et coalescere, prorsus necessarium est.... Discipuli Christi Trinitatem a Scriptura S. praedicari plane intelligunt: tres autem Deos (ut Marcion ait) neque in Vet. neque in Novo Testam. doceri =. Hinc deprehendimus:

1. Rejiciendam doctrinam Sabellii negantis personas distinctas: 2. Rejiciendum commentum Tritheistarum, quo ita urgetur personarum distinctio, ut et tres substantiae inserantur: 3. Neque confundendas, neque dividendas esse personas: 4. Unum esse Deum, et simul Trinitatem: 5. Et hoc in divinis effatis clare contineri.

Apud Latinos Tertull. egregie contra Praxeam: = Tres agnoscimus non statu, sed gradu, non substantia, sed forma, nec potestate, sed specie: unius autem, substantiae, unius status, unius potestatis, quia unus Deus; ex quo et gradus isti, et formae, et species in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. deputantur.... Profiteor, me duos dicere Deum, et Sermonem eius, Patrem et Filium ipsius.... radix et frutex, fons et flumen, sol et radius..... tertius est a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex fru-

tice, et tertius a fonte rivus ex flumine.... Ita Trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens, et monarchiae nihil obstrepit, et *οικονομιασ* statum protegit. Ecce *alium* esse dico Patrem, et alium Filium, et alium Spiritum. Male accepit idiotas quisque aut perversus hoc dictum, quasi diversitatem sonet, et ex diversitate separationem protendat Patris, Filii et Spiritus S. =

Quibus omnibus Patrum priorum saeculorum sententiis probe consideratis, merito concludere possumus, traditionem de dogmate Trinitatis christianorum omnium mentem pervasisse, et quamvis ea aetate fuerint quaedam de hoc mysterio prolata haud probanda, tamen quae cathoilicae professionis sunt, abunde a scriptoribus vulgata esse.

Thes. IV. Eandem fidem enucleatius exposuerunt et propugnarunt praesertim Patres IV. et V. saeculi.

Singulas sententias majorum nostrorum saec. IV. et V. non afferemus, ne nimis longior sit sermo; sed eorum mentem ex quibusdam factis et declarationibus solemnioribus conjunctim spectatis, deducemus.

1. Ecclesia universa stetit contra Sabellium, qui personarum realem distinctionem negabat, illumque inter haereticos recensuit.

2. Ecclesia universa stetit contra Arium ejusque sectatores arianos et semiarianos, quos iterum atque iterum suis anathematibus animadvertit.

3. Ecclesia universa stetit contra Macedonium, Photinum, aliosque ss. Trinitatis violatores.

4. Ecclesia universa baptismum constanter in nomine s. Trinitatis contulit, semperque intellexit tres divinas consubstantiales et distinctas personas.

5. Ecclesia constanter doxologiam frequentavit, et praesertim post Arianos.

6. Fides ss. Trinitatis adeo communis erat, ut et Martyres coram tribunalibus saepe saepius eam profiterentur, ut liquet ex Actibus mm. Ruinart, aliorumque. Sic Epipodius, Patritius, Polycarpus, etc. etc. Hinc Patres libros ex professo scripserunt vel sermones ad populum habuerunt de Trinitate, ut Hilarius, August. Nazianz. Nissenus, Basilius, Cyrillus alex., data opera, et fusa oratione catholicam doctrinam exposuerunt et propugnarunt.

7. Fides Trinitatis ipsis quoque Judaeis et Paganis non erat ignota, siquidem eam plus semel impugnaverint: in exemplum sint Trypho in dial. Justini M., Celsus apud Origenem, Lucianus etc.

8. Ipsi sociniani et rationalistae recentiores concedunt, saec. IV. fidem Trinitatis universalem fuisse apud christianos, quamvis eam a philosophia platonica, vel ab orientalibus traditionibus depromptam existiment.

9. Nihil igitur mirum, fidem Trinitatis ab haereticis quoque fuisse admissam et propugnatam, et in ipsis ecclesiis Nestorianis, Eutichianis, Photianis, Russica ortodoxa fuisse conservatam.

10. Symbula omnia tum Apostolicum, tum Nicaenum, Costantinopol. Nic., Taumaturgi, Athanasii, etc. explicite Trinitatis dogma profitentur.

11. Idipsum colligimus ex innumeris fidei professionibus, quae saeculo IV. et V. prodierunt.

12. Denique hanc Trinitatis fidem Concilia particularia et universalia sanxerunt, ut ex historia omnibus compertum esse debet. ut Later. IV. verbis illis. =

Nos, sacro et universali concilio approbante, credimus et confitemur cum Petro, quod una quaedam summa res est incomprehensibilis et ineffabilis...., et quae trium personarum est illa res, ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura =. Si quis singulorum Patrum testimonia consulere desiderat, Dionysium Petavium adeat de Trinitate l. 2.

THES. V. Licet quidam Patres ante Nic. conc. *innocenter* et *minus caute* de Trinitate disserentes locuti fuerint, ut admonet Hier. (apol. 2. cont. Rufinum), nihilominus non difficili negotio purgari possunt.

Sciunt omnes, controversias fidei ipsasque haereses, quae ecclesiam turbarunt, hoc emolumenti semper attulisse, ut fidei dogmata lucidius intelligerentur et validius praedicarentur. = Numquid, sic ad rem Aug., perfecte de Trinitate disputatum est antequam oblatrarent haeretici? Nihil igitur nos movere debet, si *antequam*, utar verbis Hier. loc. cit., *in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sunt.* = Justinus M., Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Clem. et Dion. alex., Irenaeus, Orig., Tertull., Methodius, Lucianus M. et alii visi sunt, ita tres asserere distinctas personas, ut unam altera inferiorem esse affirmarent. Dicunt enim, *Filium esse rationem quandam* vel *Verbum prolatitium, ministrum Patri obedientem, visibilem, dum Patrem invisibilem praedicant:* dicunt, *esse similem Patri, incipere* etc. etc. quae multo magis de Spiritu S. affirmare debent, cum a Filio procedat.

At observandum est: 1. Ante exortas haereses Patres non semel eas usurparunt formulas, quas profecto post obortas haereses numquam usurpassent; et

hoc quoque Patribus ante Nic. contigit eo vel maxime, quod adversus Sabellianos disputarent.

2. Iidem Patres plura, eaque luculentissima, de s. Trin. proferunt, quae eorum mentem pandunt, eosque catholice sensisse ad evidentiam usque demonstrant.

3. Plura, quae apud Patres illos videntur Filium inferiorem facere, ad Christum referuntur, non ut Deum, sed ut hominem.

4. Dicunt Filium et Spiritum S. obnoxios ratione originis, non substantiae etc.; siquidem solus Pater non sit ab alio.

Hoc pacto solvi possunt singula testimonia opposita, quae videre potestis expedita apud Petavium in praefat. ad libros de Trinitate, et l. 1. c. 3. 4. 5., apud Maran l. IV., et Theologos passim.

CAPUT QUARTUM

Doctrina S. Trinitatis rectæ rationi non adversatur, sed potius ipsa ratione aliquo modo illustrari potest.

Thes. VI. Argumentis tum *externis*, tum *internis* efficitur, doctrinam s. Trinitatis rectae rationi minime repugnare.

D. 1.° Satis longum sapientissimorum virorum cathalogum recensere possemus, qui catholicam doctrinam Trinitatis professi sunt, et firmissime crediderunt. Ut omittamus PP. omnes et theologos, viros doctissimos et sanctissimos, innumeri philosophi Gallici, Angli, Germanici et Itali etc. Carthesius, Bossuet, Pascal, Leibnitz, Vico, Baco, etc. tum laici, tum ecclesiastici ordinis,

non solum Trinitatis dogmati non sunt adversati, verum etiam illud venerati sunt et propugnarunt. Porro quis credat, tot tantosque viros sapientissimos, tot saeculorum intervallo, in tanta philosophiae luce, absurdam credidisse doctrinam?

2.° Christiana revelatio invictissime divina ostenditur in philosophia religionis: nihil igitur absurdi in ea contineri potest.

3.° Plura omnino sunt, quae etiam in ordine materiali rationi contraria videntur, quaeque tamen indubitata haberi debent. Sic, a pari, quod ad Trinitatem pertinet arguere possumus.

4.° Denique et illud observatione dignum: duplex est rerum atque adeo veritatum ordo, naturalis scilicet et supernaturalis: de priore ratio potest utique plus minusve judicium ferre, minime vero de altero, quippe qui vires naturales supergrediatur. Non modo ratio supernaturalibus veritatibus non adversatur, sed neque absurditatem ostendere unquam poterit. Nam ut absurda aliqua propositio demonstretur, praerequiritur plenissima terminorum, quibus constat, cognitio: in Trinitate autem termini sunt *essentia* et *personae divinae*, quae certo plene non cognoscuntur: cum igitur termini non sint undequaque cogniti, neque eorum mutuus nexus perfecte cognosci poterunt, propterea vera et intrinseca repugnantia evinci nequit; et catholicis satis est ostendere, revelationem divinam factam fuisse, et hanc vel illam veritatem in revelationis deposito vere contineri; quibus demonstratis, quilibet homo *rationabiliter* propositas veritates credere tenetur, etsi in se ipsis rationis lumini imperviae sint. Verum quidem est in adultis ad

fidem concipiendam rationem et cognitionem praevertere oportere: sed ratio et cognitio fidem praevertere debent quod spectat ad *motiva* credibilitatis, ad *factum* divinae revelationis, non autem qnod spectat ad singulas veritates revelatas, ac si eatenus tantum admittendae forent, quatenus *ontologice* comprehenderentur.

Ex quibus infertur, assensum catholici rationabilem esse atque philosophicum prae demonstratione *facti* atque *motivorum credibilitatis*, et *fidem* esse prae motivo *formali* ejusdem assensus. Uno verbo: veritates supernaturales revelatae non cognoscuntur in se, sed *per aliud*, quatenus videlicet factum divinae revelationis philosophice demonstratur. At de hoc habitu inter rationem et auctoritatem, scientiam et fidem suo loco ex professo disputandum erit.

Thes. VII. Non solum Trinitatis dogma rectae rationi non adversatur, verum etiam analogiae argumentis, ex Patribus et theologis petitis, egregie illustrari posse videtur.

Ratum est apud omnes catholicos, absque divinae revelationis lumine dogma Trinitatis solius rationis viribus demonstrari non posse. Supposita autem divina dogmatis revelatione, non desunt theologi, qui arbitrantur, Trinitatem sola ratione vere demonstrari posse. Inter alios huic sententiae subscripserunt Anselmus l. 2 de fide Trinitatis, Hugo Victorinus, Richardus a s. Vict., Card. Cusanus, Pini in Protologia, Mastrofini, cujus opus Romae prodiit, quin atro carbone notatum fuerit. Quidquid sit de hac opinione, certum tamen est juxta omnes, Trinitatis dogma plurimis, iisque pulcherimis argumentis saltem analogicis, illustrari. Sane:

1.° In rebus omnibus materialibus vestigia Trinitatis inveniuntur, et nos nihil aliud faciemus, quam theologorum et Patrum proferre sententias. S. Thomas 1. 1. q. 45 a. 7 scribit: = Omnis effectus aliqualiter repraesentat suam causam, sed diversimode. Nam aliquis effectus repraesentat solam causalitatem caussae, non ejus formam, sicut fumus repraesentat ignem, et talis repraesentatio dicitur esse repraesentatio vestigii: vestigium autem repraesentat motum alicujus transeuntis, sed non qualis. Aliquis autem effectus repraesentat caussam, quantum ad similitudinem formae ejus, sicut ignis generatus ignem generantem.... et haec est repraesentatio imaginis. = Deinde sic pergit: = In creaturis omnibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum vestigii, in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quae necesse est reducere in divinas personas, sicut in caussam. Quaelibet enim creatura subsistit in suo esse, et habet formam, per quam determinatur ad speciem, et habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quaedam substantia creata, repraesentat causam et principium; et sic demonstrat personam Patris, qui est principium, non de principio. Secundum autem quod habet quandam formam et speciem, repraesentat Verbum, secundum quod forma artificiati est in conceptione artificis. Secundum autem quod habet ordinem, repraesentat Spiritum S., in quantum est amor, quia ordo effectus ad aliquid alterum est ex voluntate creantis. Et ideo dicit Augustinus in VI. l. de Trinitate et X. quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura secundum quod omne aliquid est, et secundum quod aliqua specie for-

matur, et secundum quod quemdam ordinem tenet. Et ad haec etiam reducuntur illa tria, *numerus*, *pondus* et *mensura*, quae ponuntur Sap. XI.... Et ad haec tria reducuntur alia tria, quae ponit Augustinus de natura boni c. III. et in l. 83 q. q. 18: quod *constat*, quod *discernitur*, quod *congruit*. Constat enim aliquid per suam substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem. Et in idem de facili reduci possunt quaecumque sic dicuntur = Confer eund. q. 93 a 6. I. etc. et q. 11. a. 3. L. IV. cont. Gent. c. 26 et alibi.

2.° Repraesentatio imaginis Trinitatis lucidius apparet in homine: nam = et sumus, et nos esse novimus, et nostrum esse et nosse diligimus, = ut observat Augustinus de Civ. l. 16 c. 29, confer plurima alia loca. S. Thomas mirifice hanc veritatem illustrat 1. p. q. 27. a. 1. et 5., ubi scribit: = Processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent: hujusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt nisi duae, scilicet intelligere et velle. Nam sentire.... est extra naturam intellectualem. = Et fusius c. Gent. IV. 26: = ... Divinae Trinitatis similitudinem in mente humana possumus considerare. Ipsa enim mens ex hoc quod se actu intelligit, verbum suum concipit in seipsa, quod nihil aliud est, quam ipsa intentio intelligibilis mentis, quae et intentio intellecta dicitur in mente existens; quae dum ulterius seipsam amat, seipsam producit, ut in voluntate amatum. Ulterius autem non procedit intra se, sed concluditur circulo, dum per amorem redit ad ipsam substantiam, a qua processio inceperat per intentionem intellectam, sed processio ad exteriores ef-

fectus, dum ex amore sui procedit ad aliquid faciendum. Sic tria in mente inveniuntur: mens ipsa, quae est processionis principium in sua natura existens, et mens concepta in intellectu, et mens amata in voluntate. =

3.° Trinitas aliquo modo considerari potest in seipsa, sicuti supra consideravimus in vestigiis et in imagine. Vid. Thom. loc. cit., Augustinum, Anselmum, et nominatim Bonav. in Itin. c. VI. = Ens divinum, scribit S. D.r.... non potest recte cogitari, nisi cogitetur trinum et unum. Nam bonum dicitur diffusivum sui: summum igitur bonum summe diffusivum est sui: summa autem diffusio non potest esse nisi sit actualis, intrinseca, substantialis et hypostatica etc. Nisi igitur in summo bono aeternaliter esset productio actualis, et consubstantialis, et hypostaticalis, aeque nobilis, sicut est producens per modum generationis et spirationis etc., nequaquam esset summum bonum, quia non summe se diffunderet etc. =

4.° Ex recentioribus de Trinitate optime philosophati sunt P. Ventura = Ratio philosophica et catholica etc. VI. =, et P. Felix = Coll. 4.a p. 2.a anno 1863. =, qui veritatem illustrat: 1.° ex eo, quod populi omnes triangulum, ut divinae essentiae symbolum, exhibuerunt. 2.° Deum repraesentarunt tanquam sphaeram, in qua centrum, radius, et circumferentia habentur. — 3.° Idem colligit ex triplici corporum dimensione. — 4.° Colligit ex constitutione societatis, familiae, ex ratione argumentandi etc.: et, quae supra de vestigiis et imagine Trinitatis in rebus omnibus et potissimum in homine proposuimus, apud eundem pulchre explicata habetis.

CAPUT QUINTUM

De persona Patris.

Thes. VIII. Propositis plurimis primae s. Trinitatis personae nominibus, quibus in Scripturis et traditione appellatur, dicimus: 1.° nomen *ingeniti* (*αγεννετον*) esse quidem *notionem designantem*, non vero *constituentem* primam personam. 2.° Nomen *Patris* proprietatem significare, *qua* prima *persona distinguitur et proprie constituitur*.

D. I[ae] p. Nomina omnia, quae scriptores inspirati et ecclesiastici ad divinas personas significandas usurpare solent, *ex analogia* seu similitudine quadam cum rebus naturalibus et creatis depromuntur, proindeque imperfecta esse debent, quod quisque facile dabit: sic analogica sunt nomina Patris, Filii et Spiritus Sancti.

Prima Trinitatis persona dicitur *Pater* ob similitudinem, quae inter patrem communem et primam illam personam intercedit, defectibus omnibus comparationis remotis: item dicite de Filio, deque Spiritu Sancto. — Inde quoque fit, ut Personae s. Trinitatis variis nominibus appellentur: cum enim nullum sit nomen, quo *adequate* exprimantur, multiplicitate nominum aliquo modo supplemus.

Prima persona s. Trinitatis dicitur 1.° *principium* (*ἀρχη*): sic Cyr. alex., Nazianzenus, Elias Cret., = Filius, ait Gregorius Nazianzenus, refertur ad Patrem, ut ad principium. = Illud enim dicimus principium,

quod aliquid caussat: Pater vero est principium Filii *non creatione, sed generatione.*

2.° Pater dicitur *caussa* (*αιτια*); Augustinus = Sempiternae suae sapientiae est causa sempiterna. = Neque aliter Basilius, Nissen Damascenus. At nunc jam non amplius tutus esset usus istius vocabuli, quia *caussa* apud nos significat principium producens *aliquid externum, alterius substantiae* etc.

3.° Dicitur *auctor*: sic plures latini Patres, ut Hilarius, Prud. et Augustinus c. Maximum l. 3. c. 14. = Habet Dei Filius auctorem Patrem. = Ast et haec locutio relinquenda est, ut nomen *caussa*, et ratio eadem videtur.

4.° Pater dicitur *Filius suiipsius* a Synesio: *sui origo* (Hier), *radix* (*ριζα*) (Basilius et Amb.), *fons* (*πεγη*) (Bas.), *caput* (Hilar.) etc.

5.° Communissime dicitur Pater, quatenus Verbum generat sibi perfectissime *simile* et *aequale* (Conf. Thom. I. 1. q. 33. aa. 1. 2. 3. 4.).

D. II.ae p. Supra (prolepsi) monuimus, esse in Deo notiones *designantes* et notiones *constituentes* personas divinas: porro quod attinet ad primam Trinitatis personam duplicem notionem habemus, scilicet designantem et constituentem: notio designans est *innascibilitas* (*αγεννεσια*); constituens, *paternitas* (*πατροτης*).

Pater est *innascibilis*, *αγεννητος*. Vox ista *αγεννετον* occasio fuit acerbissimae controversiae inter Arianos et catholicos, eamque catholici modo concedebant, modo negabant, et causam statim aperiemus.

Ariani toti in eo erant, ut divinitatis notam, et ut ita dicam, *methaphisicam constitutionem* collocarent in

αννησιεγα seu *innascibilitate*, unde Filium, utpote genitum, negabant esse Deum: catholici hoc vocabulum modo concedebant, modo rejiciebant, et en differentiae origo.

Γενναιν significat *opus efficere etc. αγεννειν, αγενητον non factum* etc.; quidam autem distinguebant *αγεννητον* ab *αγενητον*: primum a *γενναιν*, alterum a *γινομαι*: primum significat *non generatum*, alterum *non factum, non creatum.*

Αγεννητον sumebatur pro *non facto*, *non creato* et *pro non genito*, vel *generato*, et pro *non emanato ab alio.* Primo sensu competit tribus personis, quae non sunt ex nihilo, et catholici negabant esse proprietatem solius Patris: secundo sensu non competit Filio, sed Patri et Spiritui S., quorum neuter generatus dici potest: tertio sensu competit soli Patri, quatenus a nemine originem ducit.

Ariani igitur in ambiguo ludebant affirmantes, *αγεννησιαν* esse proprietatem Patris: vera enim et falsa esse potest locutio, et Patres proinde modo concedebant, modo reprobabant.

His praemissis, tuemur, vocem *αγεννητον* sumptam pro *non procedente* ab alio neque per generationem neque per spirationem, scilicet pro simplici cujusque originis negatione, Patri dumtaxat competere, illumque designare.

Sane, id quod nonnisi de persona Patris dici potest, ipsam Patris personam saltem designat: atqui, notio *ingeniti,* videlicet non habentis ab alio originem, de solo Patre praedicari potest, quandoquidem Filius et Spiritus S. originem habeant: ergo notio ingeniti ad solum Patrem refertur illumque saltem designat. = In quantum,

scribit Thom. 1. 1. q. 33 a 4, est (Pater) principium non de principio, *innotescit* per hoc quod non est ab alio: quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen *ingenitus.* =

Nihilominus haec notio *ingeniti* primam personam non constituit: namque notio ista, ut monent theologi cum s. Thoma nuper citato, est *negativa*, quamvis quidam affirmaverint, *hanc notionem utrumque simul*, scilicet, *quod Pater a nullo est, et quod est principium aliorum*, vel *universalem auctoritatem*, vel etiam *fontalem plenitudinem* significare: ast non recte, quia confunditur cum Paternitate et Spiratione. = Ingenitum, sic Joannes Cyparisiota, in Trinitate neque substantiam esse, neque proprietatem hypostaticam Dei Patris. =

Proprietas autem, qua Pater persona vere constituitur ea est, qua Pater est, videlicet principium Filii absque principio. = Si prima persona Pater, sunt verba Suarez l. 8. de Trinitatis c. 2, non constituitur *innascibilitate*, quia est proprietas *immediate negativa*, reliquum est, ut constituatur in eo, quo Pater est, seu paternitate. = Haec enim est notio *affirmans, non negans* et solius primae personae; nam nec Filius, nec Spiritus S. *generant*, et propterea ab iisdem secernitur, et in hac proprietate incommunicabilis est, et ideo persona constituitur.

Unde Thomas a. II. q. cit. haec habet: = Id autem, per quod distinguitur persona Patris ab omnibus aliis, est paternitas. Unde proprium nomen personae Patris est hoc nomen *Pater*, quod significat paternitatem. =.

Quam proprietatem personalem Patris Scripturae in-

numeris fere locis praedicant (V. loca sup. cit. ex gr. ubi de Trinitatis existentia) et majores nostri confirmant, ut Cyr. alex. l. XI. in Jo. = Nomen Patris.... substantiae proprietatis notionem continet.... Qui Patrem nominat, quod ad proprietatem spectat, attingit.... ostendit enim, illum genuisse.... Pater ad Filium refertur. = Conferantur Jo. Cypar. Dec. IX. c. 5 Augustinus de Trinitate l. 5. c. 6, Athanasius or. 2. Faustinus c. arianos, Nazianzenus or. 30. etc.

Scolion 1.^{m} Nota Patris non potest constitui in spiratione Spiritus S., quia est actio communis, et idcirco personam non determinat.

Scolion 2.^{m} Patres nostri ostendunt, nedum hoc nomen Patris Deo indignum non esse, sed eidem optime congruere, et a Patre in homines omnem paternitatem proficisci: 1.° Quia Deus Pater solus est talis Pater, ut non sit unquam Filius, ut in hominibus contingit. 2.° Quia nunquam cœpit esse Pater, et nunquam desinet esse Pater 3.° Et talem habet Filium, qui nunquam erit Pater. Hoc nomen Deo Patri convenientissime tribuitur, quia 4.° distinctionem duarum personarum vividius repraesentat. 5.° Consubstantialitatem et aeternitatem egregie nobis exhibet.

Scolion 3.^{m} Hinc apparet ratio, cur Patres contra arianos huic vocabulo tantopere institerint, et numquam voci generationis, quae respondet nomini Patris, alias substitui permiserint, ex. gr. *creare, condere, facere*; haec enim vocabula, nisi aliter explicentur, significant aliquid extrinsecum moliri non consubstantiale etc: tamen aliquando adhibitum a Patribus invenimus voca-

bulum *facere*, et etiam *creare* pro generare, sed rarissime et non sine explicatione: at modo omnino vitandum. (Conf. Thom. q. cit. art. 2. 3.)

Thes. IX. Propositis quibusdam generationis conditionibus, tuemur: 1. Non prius Patrem Deum fuisse, quam Patrem; 2. et idcirco generationem esse aeternam, 3. in hac Patris generatione nullam esse substantiae scissionem.

D. 1. P. S. Thom. (1. 1. q. XXVII a. 2), cui subscribunt fere omnes Theologi, generationem sic definit. = Generatio significat originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto =, et alibi addit = secundum naturae similitudiem. = Itaque in notione generationis haec requiruntur: 1. ut habeatur identitas naturae generantis et generati, in quo generatio a creatione distinguitur; 2. ut generatus generantis praeseferat naturalem similitudinem; 3. ut generatus et generans distinguantur.

Hanc esse generationis germanam ideam tradiderunt Patres uno ore contra Arianos (Cf. profess. fidei Ep. Victoris, Athan., Ambr., Epiph., Basil., Nazian., etc.)

D. 2. P. Pater in eo Pater est, quo generat: at actus generandi, quo Pater Persona constituitur est ne aeternus? Non caepit neque desinet; at huic generationis aeternitati acriter obluctabantur Ariani. Pater juxta chatholicam fidem semper pater fuit: si enim fuisset tempus, quo Pater non erat, ut Ariani contendebant, ipse Pater destrueretur, neque postea esse potuisset, ut ex se patet. = Si Pater, inquit Ambr. de Symb. c. 4., esse coepit, Deus ergo primum erat, postea Pater factus est. Quomodo ergo immutabilis Deus? Si enim antea Deus, ops-

tea Pater, generationis accessione mutatus est.... Ex Filio Pater dicitur, et qui semper fuit Pater, semper Filium habuit. = Et Athanasius (or. 2. c. Arian.) = Hominum proprium est in tempore generare, ob imperfectionem naturae; Dei soboles aeterna est, quia natura semper perfecta est = (Cf. etiam Cyr. Alex. l. 1. Thes., Nyss. l. 4. cont. Eunom., Hilar. l. 2. de Trin. etc.); quam veritatem iidem Patres explicare solent imagine solis, qui absque luce concipi non potest etc. etc.

Si Pater non potentia, sed actu, non tempore, sed ab aeterno est Pater, et ab aeterno gignit, generatio aeterna credi debet, ut ex dictis colligitur, et ex dicendis confirmabitur.

D. 3. p. Posita generatione, Ariani asserebant, divinam substantiam discindi; sed perperam omnino. In generationibus humanis divisio substantiae contingit, minime vero in divina: 1. quia, dicunt Patres, substantia divina semper una est, *impartibilis*, et *tota*, non pars, Filio per generationem communicatur; 2. quia una persona est tota in altera, et vicissim, et habetur quam scholastici circuminsessionem vocant. 3. S. Hilar. hac similitudine utitur = Quaero utrum divisio ac separatio sit, cum ignis ex igne est? Aut numquid absciinditur natura, ne maneat, aut secatur natura, ne insit, cum accenso lumine ex lumine per quemdam quasi nativitatis profectum, naturae nulla defectio sit (lib. 7) 4. Sic declaratur imagine ducta ex humanae mentis cogitatione, quae ex mente procedit, nec tamen substantia dividitur aut separatur. Ergo etc.

Coroll. 1. Ex idea generationis supra statuta con-

sequitur, Filium esse oportere Patri *aequalem*, quia eandem possidet substantiam.

Coroll. 2. Sequitur etiam Deum non posse creaturam sibi *aequalem* efficere: ratio est, quia creaturae non communicat *propriam* substantiam. Quod feliciter S. Bernardus expressit (Homil. 3.ª Adv.) = Altissimus Pater quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel aequalem sibi condere creaturam, vel inaequalem gignere Filium. =

Coroll. 3. Aliquo sensu Pater dici potest *Filio major* etiam secundum divinam naturam, scilicet *ratione* principii: at non facile haec loquendi ratio permitti potest; sapit enim Arianam labem.

Scolion 1. Si quis quaerat, cur Pater vocetur potius Pater, quam Mater, respondendum est cum Anselmo (Monol. c. 40), quia generationis principium non matri, sed patri inhaeret.

Scolion 2. Hoc singulare habet divina generatio, quod Filius ab uno tantum principio generatur, non ex duorum consensu, ut in creaturis, et ut Ariani opponebant: et hoc ob infinitam ipsius generationis perfectionem.

Scolion 3. Nonnisi una esse potest generatio Patris, quia = Deus uno simplici actu omnia intelligit... Unde in eo non potest esse processio Verbi ex Verbo.... sed est in eo solum unum Verbum perfectum.... et in hoc ejus perfecta fecunditas manifestatur = (Th. 1 1. q. XXVII. a. 5 ad 3.) Legatur integra q. XXXIII. S. Thomae, quae est tota de Patre.

CAPUT SEXTUM

De Persona Filii.

Thes. X. Quibusdam appellationibus S. Scripturarum expositis, quibus secunda Trinitatis Persona exprimitur, dicimus, eandem Personam constitui proprietate *filietatis.*

D. 1. p. Altera Trinitatis Persona in S. Eloquiis, et ubique in ecclesiasticis monumentis appellatur Verbum, Filius, Similitudo, Speculum, Caracter, Splendor, Imago, Sapientia, Virtus, Veritas, Vita, Sermo, Figura etc. haec nomina fere omnia inveniuntur apud Ambrosium (de fide), quibus alia bene multa addi possunt. Duo tantum ex his nominibus explicabimus, quia frequentiora sunt, et prae caeteris alteri Trinitatis Personae congruunt, scilicet *Verbum,* et *Filius.*

Secunda Trinitatis Persona dicitur Verbum ob similitudinem inter ipsum Filium Patris, et verbum mentis: *a*) Comune est Verbo Dei et verbo mentis, ut sit expressa cogitatio, vel cognitio rei cogitatae perfectam similitudinem referens. *b*) Sicut Filius Dei totum Patrem dicit, ita verbum totam mentem continet. *c*) Verbum mentis a mente, Verbum Patris a Patre citra divisionem, aut passionem procedunt. *d*) Sicut verbum mentis est menti consubstantiale, ab eaque distinctum, ita Verbum Patris etc. *e*) Sicut omnia facimus per verbum mentis, seu ideam etc. ita Pater omnia per Verbum suum operatur. *f*). Sicut verbum mentis ad extra prodit et in signo, vel sono veluti incarnatur, ita et Verbum Patris carnem induit, quin tamen Patris sinum relin-

querit. (Sic Basil. Cyril. Alex. Grys. Fulg. Nyss. Athan. Aug. etc.)

Hinc hoc nomen Filio congruit, et proprietatem personalem exprimit, quia habetur relatio oppositionis, seu originis inter Verbum, et illum, cujus Verbum est: quod Augustinus declarat de Trinitate l. 7. c. 2 = Verbum non ad se dicitur, sed tantum *relative* ad eum, cujus Verbum est.... Verbum ad eum, cujus est Verbum refertur = Imo in eo, quo Verbum a Patre distinguitur, distinguitur etiam a Spiritu S. qui, non ut Verbum, non per modum intellectus, sed per modum amoris et voluntatis procedit (Conf. Th. 1. 1. q. XXXIV. a 1. et 2.) Item nomen Filii proprium est secundae Personae, et proprietatem exhibet, qua ipsa distinguitur simul et constituitur. Nomen sumitur ex similitudine cum filiis hominum, et similitudo ad haec revocatur. In idea enim filii necessario continetur 1. origo, 2. distinctio personalis, 3. consubstantialitas, atque adeo 4. perfecta similitudo, aequalitas naturae etc. quae omnia in Dei Filium quadrant.

Filietas autem est proprietas distinguens simul et constituens Filii Personam. Namque in eo, quo Filius est genitus vel unigenitus distinguitur a Patre, a quo est per generationem, a Spiritu S. qui non *generatur*, sed *spiratur*, pront videbimus. Cum igitur Filius proprietatem habeat *generati*, quae neque Patri, neque Spiritui S. competit, adeoque *incommunicabilis* est, Persona constituitur. Joannes Damascenus l. 1. cap. 6 sic ad rem = Sicut Verbum nostrum a mente gignitur, nec idem est omnino, quod ipsa mens, nec plane diversum: nam cum id a mente profiscitur, aliud est quam mens, et cum

mentem ipsam indicat, non est prorsus ab illa diversum, sed cum sit unum natura, aliud, tamen subjecto est: sic Dei Verbum, quod Filius est, quatenus propria subsistit persona, ab eo distinguitur, a quo genitum est = etc. = Et Athanasius (orat. 3) = Nisi (Filius) substantialis esset sapientia, et substantia praeditum Verbum, existensque Filius, sed simpliciter Sapientia et Verbum etc. esset Pater a Sapientia compositus et Verbo.... et sui ipse Pater esset ac per se gignens Filius, et a Christo genitus, vel certe merum nomen etc. = Quae Thomas theologice ita exponit (1. 1. q. XXX. a 11) = Realis distinctio inter relationes divinas non est nisi ratione oppositionis relativae. Ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Si quae autem relationes oppositae non sunt, ad eandem personam necesse est eas pertinere. Paternitas ergo, et Filiatio, cum sint oppositae relationes ad duas personas ex necessitate pertinent. Paternitas ergo subsistens, est Persona Patris, et Filiatio subsistens est Persona Filii: aliae autem duae relationes (scilicet spiratio, et processio) ad neutram oppositionem habent etc. = Legatur totus articulus.

Thes. XI. Filium *consubstantialem* esse Patri, verumque Deum S. Scripturae, Patrum disertissima testimonia et Conciliorum definitiones comprobant.

D. Omissis oraculis supra citatis th. XL, alia pauca, sed classica proferemus. Joan. I. 1, 2 = In principio erat Verbum etc. =

In principio non significat Patrem, quia 1. adversantur fere omnes Patres; 2. locutio obscura esset, quod repugnat auctoris scopo; 3. vox, quae sequitur = *apud*

Deum = refertur absque ulla dubitatione ad Patrem, debebat igitur dicere = apud principium = et praesertim Joannes, qui hanc loquendi rationem frequentat. 4. Sonaret ita tota locutio = In Patre erat Verbum, et Verbum erat apud Patrem, et Deus erat Verbum: et hoc Verbum erat in Patre apud Patrem. = Quae locutio intollerabilis foret. 5. Ergo significat in *initio*, antequam aliquid *fierot*, ab *aeterno* etc. En aeternitas Verbi.

Verbum hic dicitur apud *Deum* (subintellige Patrem): porro esse *apud* Deum aperte *distinctionem* indicat Verbi a Deo Patre. En distinctio personalis.

Et Deus erat Verbum; Deus hic est praedicatum, ut patet; sic igitur verti potest, et *Verbum erat Deus*. En divinitas Verbi. Deinde totum versiculum complectitur verbis illis: Hoc erat in principio apud Deum, et idem repetit. Deinde pergit, et dicit: 1. omnia facta per Verbum, 2. nihil sine Verbo, 3. ergo Verbum non factum ante creationem, imo 4. Verbum est Creator. 5 in ipso est vita *simpliciter*, et vita, quae est lux omnes homines illuminans. Lumen, lux etc. quae nonnisi de Deo praedicari possunt.

Quapropter ex initio Evangelii 1. probatur distinctio Filii. 2. Ejus aeternitas, 3. Divinitas, potentia creandi etc.

Apud Joan. X. 30 = Ego et Pater unum sumus. = Quae verba de Filii *consubstantialitate* intelligi debent, siquidem ita ea interpretata est tota antiquitas christiana; ita Haebrei Christi auditores, et hoc postulat contextus, ne dicamus Christum ludere verbis. Confirmatur ex sequentibus verbis, quae quin difficultatem obtrudant, argumentum continent a fortiori.

Huc facit confessio Petri Matt. XVI. = Tu es Chris-

tus Filius Dei vivi = Et Thomae = Dominus meus, et Deus meus = Huc faciunt verba Pauli Rom. IX. 5. = Qui (Christus) est Deus super omnia benedictus in saecula = Titi 11. 13., 1.° ad Haeb. v. 4. Joan. XX. 31 etc. etc.

Christus in Scripturis dicitur honorificandus sicut Pater, Filius verus, proprius, unigenitus Patris, creator, sanctificator, Dominus omnium etc. quae absurda forent nisi esset Deus.

Praetermitto Patres, qui saeculo secundo et tertio, et potissimum quarto, quinto, et octavo Christi divinitatem strenue asseruerunt contra Gnosticos, Paulum Samosat. Arium, Eunom. Photin. et Adoptianos.

Sic praetermitto Symbola, Conc. Nicaen. etc. consensionem Ecclesiae, fidelium omnium (V. Suarez l. 2. c. 3., Petav. l. 11. c. 8. 13.)

Scolion 1. Verbum a Patre procedit secundum actionem intellectus, ut iterum, atque iterum ostendit Thom. (q. XXVII. a. 2. 3. q. XXVIII. a. 2. q. XXX. a. 2. ad 2. q. XXXIV. a. 2. q. XXXV. aa. 1. 2. etc. etc.,) de quo fusius, ubi discrimen inter generationem et processionem declarabimus.

Scolion 2. Filius, seu Verbum, sunt verba s. Thomae (q. XXXIV a. 3.) mente conceptum est repraesentativum omnis ejus, quod actu intelligitur: unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quae intelligimus. Sed quia Deus uno actu et se, et omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva et factiva: ita Verbum Dei,

ejus, quod in Deo Patre est, est expressivum tantum: creaturarum verum expressivum et operativum.... quia importat in Verbo rationem factivam eorum, quae Deus facit. =

Scolion 3. Licet Filius dicatur Patris sapientia, Ratio etc., non ita tamen hujusmodi locutiones intelligendae sunt, ut Filius dicatur Ratio vel Sapientia, qua Pater intelligit, et rationalis est. Augustinus, qui hanc locutionem usurpaverat, postea retractavit. Pater enim non accipit sapientiam a Filio, sed potius eidem cum essentia eam communicat: et sapiens est Pater, sapiens Filius, sapiens Spiritus S.: Filius autem sapientia dicitur, quatenus *per processionem intellectus generatur*, et *quatenus est terminus*, seu *objectum paternae sapientiae*, in quo seipsum intuetur. (Cf. Petavium l. VI cap. IX integrum).

Opp. 1. Kuinoël, Wegscheider, Semler, Paulus, Rosenmüller etc. dicunt, Joann. et Paulum etc. vocasse Christum Verbum, ut exprimerent virtutem magistri, vividioribus imaginibus res repraesentasse, et phraseologia philosophica neoplatonicae scholae usos fuisse.

Resp. Neg. omnino 1. Repugnat caracter moralis et litterarius scriptorum inspiratorum; 2. repugnat eadem ratio loquendi Scripturae s. 3. repugnat dicere, Joannem, Paulum etc. accessisse ad philosophica placita neoplatonicorum; 4. repugnat tota antiquitas christiana; 5. repugnat, sacros scriptores vel fuisse deceptos, vel deceptores, et semper metaphorice de Christo fuisse locutos.

Opp. 2. Angeli, homines justi et pii dicuntur Filii

Dei, Filii Excelsi, geniti, Dii etc. Ergo ex his biblicis locutionibus frustra divinitas Verbi arguitur.

Resp. Si probaremus divinitatem Verbi ex his tantum locutionibus Tr., si eam deducimus ex diversa ratione, qua enunciantur ex adjunctis, ex contextu etc., ut fecimus N. Eaedem locutiones plus semel alium fundunt sensum, qui ex adjunctis etc. dignoscitur.

Opp. 3. Christus numquam clare dixit, se esse Deum.

Resp. Conceptis Verbis tran. aequipollenter N.

Opp. 4. Christus loquens de se incertus et ambiguus est, et circa suam originem interrogatus verbis ludit.

Resp. Originem suam clare non enunciavit, Dist: quibusdam Hebraeis, et aliquando C. semper et nominatim Apostolis N. Recolantur dicta supra.

Opp. 5. Christo divinitatem tribuerunt discipuli praesertim ob admirationem quamdam, et singularem amorem, unde prioribus saeculis Christus non adorabatur ut Deus.

Resp. Apostoli fassi sunt divinitatem ob admirationem et coecum amorem N. ob admirationem et amorem, quae admiratio et singularis amor repeti debent ex tot miraculis et signis, quibus ipsius doctrina confirmabatur, ejusque divina Persona manifestabatur C. Ipsis enim persuasum erat, Christum esse Deum sensu proprio, ut supra vidimus, et ut Deum adorarunt Thomas, Petrus, Magdalena, etc.

Opp. 6. Pater dicitur senior Filio. Ergo.

Resp. Ratione assumptae humanae naturae C. vel fortassis ratione originis tran., ratione alterius naturae N.

Opp. 7. Sapientia dicitur creata.

Resp. Secundum humanam naturam C. aliter N.

Opp. 8. Pater vel generat necessitate, vel voluntate: si necessitate miser est, indiget Filio; si voluntate, Filius non est Deus. Ergo.

Resp. Gignit necessitate et voluntate.

Coeteras difficultates, et eas, quae ex Patribus deducuntur, videte solutas apud Thom. de Trin. q. IV. a. 2.

CAPUT SEPTIMUM

De Spiritu Sancto.

Thes. XII. Praeter Patrem et Filium tertia credi debet hypostasis ab utroque distincta, quae nominibus Spiritus, Spiritus Sancti, Spiritus Paracliti in Scripturis S. et christianae traditionis monumentis appellatur.

D. 1. p. Utile erit perbrevem historiam controversiarum, quae circa Spiritus S. processionem extiterunt praemittere.

Rejecta macedoniana haeresi, quae Spiritus S. divinitatem negabat, orta est quaestio de ejusdem processione. Cyrillus Spiritum S. proprium Filii affirmaverat anathematismom 9.: Theodoretus reprobavit anathematismum Cyrilli, negans Spiritum S. extantiam habere a Filio, sed esse ejusdem originis ac Filium, scilicet a Patre. Cyrillus tacuit, quia tunc non erat quaestio de Spiritus S. origine. Tempore Caroli Magni in Gallia agitata fuit quaestio, utrum in Symbolo, quod in Missa canitur, addenda esset particula *Filioque*, sicut jam pridem facere consueverant Ecclesiae Hispanicae: Legati gallici Pontificem Leonem adierunt, illumque consuluerunt, qui,

re maturius considerata, respondit, non esse particulam illam addendam, quia Conc. Ephesinum quodcumque additamentum prohibuerat, et verisimilius, quia Pontifex Graecorum cavillationes praevidebat. Summus Pontifex duo scuta ad S. Petrum appendit, in quibus sculptum legebatur symbolum graeca et latina lingua absque particula *Filioque*. Res paullisper quievit: at postea Photius, expulso Ignatio, astu et violentia nactus est sedem Constantinop., et latinos haereseos insimulavit ob additam particulam *Filioque*: et doctrinam de processione Spiritus S. etiam a Filio: inficiatus est: hinc schisma ortum est. At post Photium Ecclesia Graeca ad communionem Romanam rediit; sed Michael Cerularius schisma instauravit. In Barensi Concilio, tempore S. Anselmi, inter graecos et latinos de Spiritus Sancti processione disputatum est, et, regnante Innocentio III., graeci nobiscum catholicam fidem professi sunt. Post triginta tres annos, opera Theodori Lascaris schisma revixit. Regnante Michaele Paleologo, in Lugdunensi Con. utriusque Ecclesiae concordia anno 1474 statuta et confirmata fuit: at post novem annos a graecis violata est. Rursus, imperante Joanne Paleologo, Florentino Concilio renovata fuit, et rursus, opera Marci Archiep. Ephesii, schisma renovatum, quod ad nostram usque aetatem perdurat. En historia schismatis graeci, quae a controversia de Spiritus S. processione sejungi nequit. Quibus praelibatis, ad thesim nostram veniamus.

Spiritus S. ab *halitu*, vel *flatu* dicitur, unde nomen est ex analogia ductum, sicut et Pater et Filius: dicitur *amor*, *Paraclitus*, *donum*, *charitas*, *vinculum*, etc. etc. ut ex orationibus Ecclesiae et ex Patrum operibus

discimus, quae nomina Spiritui Sancto optime congruunt.

Probamus Spiritum S. esse Personam ex se subsistentem :

1. Actiones sunt suppositorum, ut fert vetus scholae, et philosophiae effatum. Porro Spiritui S. actiones tribuunt biblica et Ecclesiastica monumenta. Joan XVI. 26 Spiritus S. dicitur *docere*, *testificari*, *suggerere*. = Ille vos docebit = suggeret vobis = ille testimonium perhibebit da me etc. =

2. Appellatur pronominibus personalibus: *ille*, *alius*, *ipse*.

3. Spiritus S. dicitur *eligere*, *segregare* Apostolos. = Dixit Spiritus S.: segregate mihi Paulum et Barnabam. (Act. XIII. 20). =

4. Constat, Patrem et Filium esse Personas distinctas; verum ridiculum foret eodem ordine Personis conjungere *attributum* quoddam, vel *quamdam* vim: Spiritus S. plurimis in locis, ut supra probatum fuit, cum Patre et Filio conjungitur. (C. Mat. XXVIII. 19 etc. 1ª Joann. V etc): ergo Spiritus S. est vere subsistens Persona.

5. Spiritus S. dicitur missus a Patre, sicut Filius, et loco Filii = Cum venerit ille Paraclitus, quem ego mittam a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. = Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis etc. = Paraclitus autem Spiritus S., quem mittet Pater in nomine meo etc. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos = (Joan. XIV. XV). = Jam vero mitti non convenit divinae substantiae, vel attributis: restat igitur, ut Spiritus S., qui dicitur missus, sit vere et proprie Persona.

6. Spiritus S. dicitur descendisse sub specie columbae

(loc. cit.), et sub igneis linguis: at nusquam legitur in Bibliis descendisse et sub corporali specie apparuisse vel substantiam, vel attributa divina. Ergo etc.

In re tam evidenti non est cur Patrum testimonia, vel Conciliorum decreta afferamus.

Thes. XIII. Spiritum S. verum esse Deum Patri, Filioque consubstantialem, ejusdemque dignitatis, triplici argumentorum genere efficitur.

D. Divinitas Spriitus S. deducitur ex nominibus, quibus appellatur, ex notis, quibus insignitur, et ex operibus, quae ipsi tribuuntur. Sane dicitur Deus et Dominus non secus ac Pater et Filius (Act. V. 3. 4) = Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui S.?..... Non es mentitus hominibus sed Deo = Ergo Spiritus S., subjungit Epiphanius, est Deus de Deo. (1ª Cor. III. 6) = Nescitis, quia templum Dei estis...? Nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S.? = Ergo Spiritus S. est Deus, siquidem, qui prius dicitur Deus, postea appellatur Spiritus S. (Cf Psal. 94. coll. ad Haebr. 111. 8, 1ª Cor. XII. 4, Philipp. 111. 3.)

Insuper Sp. S. dicitur Spiritus Dei, Patris, Filii, Sanctus *absolute*, Spiritus veritatis, sapientiae, scientiae, virtutis, fortitudinis etc., passim in Novo et in Veteri Testamento. (Cf. Petav. l. 11 c. XIII). Accedit: de Spiritu S. ea praedicantur, quae nonnisi Deo tribui possunt. Nam legimus, Spiritum S. procedere a Patre, venire a Patre, effundi a Deo, accipere a Filio, scrutari profunda Dei, cognoscere quae sunt Dei, replere orbem terrarum, sanctificare, illuminare, dividere singulis prout vult, inspirare prophetas et agiographos; Christus dicit, non remitti peccatum in Spiritum S. etc.; discimus per Spiritum S.

Incarnationis mysterium impletum fuisse, in nomine Spiritus S. baptizari homines, eique aeque ac Patri et Filio consecrari et mancipari =; Spiritum S. regenerationem operari: peccata per Sacerdotum ministerium remittere; habitare in Sanctis una cum Patre et Filio etc., etc. Christus dicitur plenus Spiritu S.; Spiritus descendit super ipsum, ejicit daemonia, Christus praedestinatus dicitur per Spiritum S.

Haec omnia nefas est dicere de creatura, ut evidenter patet: ergo Spiritus S. qui haec omnia operatur, Deus est, Patri Filioque ejusdem naturae communione conjunctus. — Relinquo Patres et Ecclesiasticarum sanctionum auctoritatem. (Cf Petav. l. II. c. 14. 15).

Thes. XIV. Spiritum S. a Patre et Filio procedere, proindeque ad Patrem et Filium referri, tamquam ad sui principium, quae quidem est Spiritus S. tessera, Sacrarum Litterarum et Latinorum Patrum auctoritate comprobamus.

D. Graeci Photiani docent, Spiritum S. referri quidem ad Patrem, ut ad sui principium, sed negant eandem principii rationem et dignitatem prae Spiritu S. Filio quoque esse vindicandam, quod Catholici firmissime credunt.

Sepositis definitionibus Toletani Conc., Lugdudonensis, Lateranensi, et Florentini, in quibus expresse docemur, Spiritum S. a Patre et Filio procedere, rem Scripturae auctoritate conficiemus. En verba Christi apud Joan. XVI, 13. 14 = Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur, et quae ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet,

et annuntiabit vobis. Omnia quaecumqe habet Pater mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis = Cf. etiam Joan. XV. 26. XVI. 7 ubi Christus promittit se missurum a Patre Spiritum S. = Ex quibus locis haec luculenter deducimus 1° Spiritum S. Apostolis impertiendum esse. 2° Apostolos in omnem veritatem docturum. 3° Quae Spiritus S. docturus erat Apostolos, non a semetipso docturus erat, sed omnia quae audiet, scilicet a Deo. Et hic 4.° indicatur processio Spiritus S. a Deo. Pergit, et ait 5° Spiritus S. docebit vos omnia et glorificabit me, quatenus ea, quae ego ipse dixi vobis, ille suggeret et confirmabit. (XIV. 26) — Et cur glorificabit me, ea, quae ipse docui, confirmans? Quia 6.° de *meo accipiet,* idest habet ex me quod impertietur. Porro 7.° Personae nihil invicem accipere possunt nisi per originem: si ergo Spiritus S. aliquid a Christo accipit, per originem accipit, et propterea ab ipso procedit. — Et cur a Christo procedit Spiritus S.? Quia omnia, quae habet Pater, sunt Filii, excepta utique *Paternitate,* quae *immediate incommunicabilis est* propter oppositionem: jam vero si Christus habet omnia, quae Patris sunt, una excepta Paternitate, habet etiam vim productivam Spiritus S.: ergo Spiritum S. et ipse producit. Et idcirco, concludit Christus, dixi, quia Spiritus S. de meo accipiet, quia omnia, quae Patris sunt, mea sunt: unde Spiritus S., quae ipse tradidi, annuntiabit.

En totum argumentum forma syllogistica: in divinis una Persona ab alia nihil accipere potest nisi quatenus ab ipsa procedit: atqui Spiritus S. a Christo accipit: ergo ab ipso quoque procedit.

Photiani hic excipiunt: in hoc loco Christus loquitur non de interna productione Spiritus S., sed de externa ejusdem missione, quia dicit: *rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis:* Spiritus S. vero *non missione, sed substantiali processione producitur*. Praeterea Christus dicit: Spiritus S. *accipiet de meo;* sed illud *de meo* non indicat *substantiam*, sed scientiam, et veritatem, ut ex contextu patescit. Dicit enim: Spiritus S. *docebit vos, suggeret vobis, annuntiabit vobis quae* etc.: et confirmatur ex eo quod exprimitur *tempore futuro*, (*accipiet*) etc. Rursus igitur non de processione originis, sed de missione externa loquitur Christus.

At respondemus: majores nostros tam latinos, quam graecos hanc Photianam interpretationem ignorasse. Insuper versiones antiquissimae, ut Syriaca, Persica, Arabica (V. Poliglott. Valton) sic vertunt: a *me accipiet*, de *eo quod meum est accipiet*, et confirmatur sequentibus verbis Christi: = *omnia tua mea sunt* = Demus, *directe affirmari* Spiritum S. accipere a *Filio scientiam et veritatem ;* nihil inde contra catholicam doctrinam, quoniam Filius Spiritui S. scientiam communicare non posset, nisi ipsi substantiam quoque communicaret; substantia enim et scientia in Deo idem *realiter* sunt.

Demus etiam directe Christi verba respicere *missionem externam* Spiritus S.: non inde negatur Spiritus S. origo etiam a Filio: ratio est quia missio includit *dependentiam*, non *naturae*, sed *originis*: dependentia missionis externae supponit dependentiam missionis internae seu originis: Christus igitur mittit *externe* Spiritum S., quia ipsum *interne* mittit substantiali *spiratione*. Sic haud difficile explicatur ratio illius *futuri accipiet*, quia immediate ad exter-

nam missionem refertur, sed praesupponitur missio *interna*.

Ex hac responsione alterum eruimus argumentum, quo thesis nostra roboratur. Nam loca omnia Scripturarum, in quibus Spiritus S. dicitur missus a Christo et a Filio, probant Spiritus Sancti originem etiam a Filio. Nam si rem bene perpendimus, videbimus Scripturas et Patres missionem illis tantum personis divinis tribuere, quae originem habent, easdemque ab iis missas dici, a quibus procedunt. Sic Pater numquam missus dicitur, neque a Filio, neque a Spiritu S.: Filius dicitur missus a Patre, numquam a Spiritu S.; et si aliquando Filius dicitur missus a Spiritu S., hoc ratione humanae assumptae naturae intelligendum est, ut ex contextu apparebit: Spiritus S. semper missus dicitur, modo a Patre, modo a Filio, modo ab utroque, ut loca Joan. supra allata patefaciunt.

Neque aliud argumentum est praetermittendum. Spiritus S. praedicatur ut Spiritus Filii, Spiritus Christi, Spiritus Domini, scilicet Christi, Spiritus Veritatis, quae est Christus etc. (Cf Joan. loc. citat. et nominatim ad Gal. IV. 6, ad Rom. VIII. 9, Act. XVI. 7 etc. etc.). Quibus testimoniis positis, ita arguimus: persona illa, quae dicitur alterius personae in casu gignendi, ab illa originem ducere debet; atqui Spiritus S. dicitur Spiritus Filii, Christi etc. ergo a Filio procedit. Quod argumentum roboratur a *simili:* sicut Filius ideo dicitur Filius Patris, quia a Patre per generationem oritur, ita et Spiritus praedicatur Spiritus Filii, quia ab ipso procedit. — Photiani negant hoc argumentum: Spiritus S. dicitur Spiritus

Filii, non ad originem significandam a Filio, sed ad consubstantialitatem cum Filio ostendendam.

Negamus novam et inauditam explicationem. Si iste est sensus, cur locutio non invertitur ita: Spiritus Filii, et Filius Spiritus Sancti, Spiritus S. Patris, et Pater Spiritus Sancti? Haec ratio loquendi neque in Scripturis, neque in Patribus, neque in ecclesiasticis monumentis umquam occurrit, et si adhiberetur, relationes personarum permiscerentur. Spiritus S. ergo dicitur Spiritus Filii, non *praecise* ob consubstantialitatem, sed ad originem directe patefaciendam.

Biblicis oraculis succedunt Patrum sententiae, quas Graeci nobiscum reverentur. In Concilio enim VI. Æcumenico una cum Athanasio, Basilio, et duobus Gregoriis, Ambrosium et Hilarium et Augustinum tamquam sanctos doctores se admittere profitentur.

Audiant igitur Hilarium l. 2.° Trinit. = Loqui de Spiritu S. non est necesse, quia de Patre et Filio confitendus est auctoribus. = Audiant Ambros. de Spiritu S. c. 10 = Spiritus S. cum procedit a Patre et Filio, non separatur a Filio =. De Symb. c. IV. = Spiritus Sanctus procedens quidem a Patre et Filio, non est Filius, quia non generatur, neque Pater etc. = De dignitat. hum. condit. = Deus Pater genuit Verbum, cum quo produxit Spiritum S. = Rursus = Ex Patre, Filioque procedit Spiritus S. = Audiant Augustinum de Trinit. l. XV c. 17. 26 = De utroque procedere Spiritum S. sic docetur = (et citat locum Joan. supra enarratum).... Sicut habet Pater in semetipso, ut de illo procedat Spiritus S., sic (intelligit) dedisse Filio, ut de illo procedat idem Spiritus S. = (Vid. etiam Tract. 99. in Joann.)

Audiant Leonem Papam (Epist. 93): = Alius, qui genitus est, alius, qui de utroque processit. = Cf. etiam Gennadium Massil. (De Eccles. Dogm. c. 1°), Fulgentium (De Fide ad Petrum c. 2°) Eucherium, Gregorium Naz. Hormisdam Pap. etc. etc.: quibus addi possunt Concilia Toletana saec. 6, 7. etc.

Nulla igitur dubitatio, in Ecclesia latina viguisse publicam fidei professionem de processione Spiritus S. etiam a Filio ante Photianam haeresim, et ipsa aetate, qua concordia Orientem inter et Occidentem maxima erat. (Cf. Petav. l. VII c. 8).

Thes. XV. Idipsum graecorum Patrum auctoritate conficitur.

D. A fide Latinorum Patrum, quos supra audivimus diserte processionem Spiritus S. etiam a Filio propugnantes, Patres gracae Ecclesiae minime dissident.

Epiphanius (Ancorat. 67, 71, 74) = Cum Christus ex Patre credatur Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo, sive ab ambobus = deinde profert verba Joan. de *meo accipiet* = Alibi = Spiritus S. Spiritus Veritatis est lumen tertium a Patre et Filio =.

Didymus Alex. de Spiritu S. ex professo locum Joan. interpretatur c. 34 = Quia Spiritus (loquitur Christus) non ex se est, sed ex Patre, et me est. =

Cyrill. Alex. (Thesaur. 1. 34) = Spiritus S..... est Patris et Filii, qui substantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium profluit. = Alibi: = Quoniam ex substantia Patris et Filii Spiritus S. est.... cum Spiritus S. ex Patre, Filioque procedat, perspicuum est, ipsum esse divinae substantiae etc. =

Athanasius de Trin. 19 = Est Filius fons Spiritus

Sancti = Cf. etiam Basilium Epist. 38. 4, Ephrem Par. ad Poenit. 22. 37, Gregorium Nyss. Orat. Dominic. de Spiritu S. (apud Petav. VIII. 2. 15), Andream Cretens. in Transfig. Anastasium Synaitam or. 2. 24, Tharasium profess. fidei in Nicaen. etc. etc. = qui dicunt Spiritum S. accipere a Filio, portari a Filio, esse per Filium, mitti a Filio, manifestari per Filium, a Filio procedere, ab ipso vitam habere, esse Filio consubstantialem, quia ab ipso venit, et alia hujusmodi etc.

Quare perspicuum est, praeter quam quod opus sit, Graecos Photianos non modo a Latinis Patribus, sed etiam ab ipsis majoribus suis discessisse, et antiquae et sincerae fidei traducem corrupisse.

Thse. XVI. Eadem Catholica doctrina theologicis argumentis invicte demonstatur.

D. Jam inde a principio tractationis monuimus, duo sedulo in Deo distinguenda, scilicet quod est *commune,* et quod est *particulare,* quod est *absolutum,* et quod *relativum, substantia* et *personae.* Substantia, quae *una* est et *communis,* nullo modo personarum varietatem producere potest. Quod autem *particulare* est, et *proprium* personas multiplicat. = Hoc solum numerum insinuat =, inquit Augustinus, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt =. Relativa nomina, sic et Fulgentius de Trinit., Trinitatem faciunt: essentialia vero nullo modo triplicantur. = Quapropter Personae habentur in Deo quatenus habentur *proprietates peculiares*, et ideo *incommunicabiles,* quia ad invicem referuntur *habitudine* oppositionis: nulla autem distinctio ex relatione locum habet nisi *principii,* et ejus quod est ex principio. Aliis verbis: nulla est distinctio, nullaque relatio oppositionis

in Deo, nisi ex origine: sic Pater in eo Pater est, quod dat esse Filio, et Filius est Filius in eo, quod extantiam habet a Patre per *generationem:* Spiritus S. in eo distinguitur a Patre, quod a Patre per spirationem procedit: quomodo vero distingueretur a Filio, nisi a Filio quoque produceretur? Cum personae non distinguantur nisi relatione, quae oritur ab origine unius ab altera, Spiritus S. et Filius ab invicem distingui debent, quatenus unus ab altero oritur: porro Filius non distinguitur a Spiritu S., quatenus a Spiritu S. procedit: hoc enim penitus inauditum et haereticum est, et Graeci ipsi detestantur: reliquum est ergo, ut Spiritus S. a Filio originem ducat.

Accedit alterum argumentum: Pater Filio communicat id totum quod ipse est, eo excepto, quo Pater est. productio autem Spiritus S. non est Paternitas: ergo Filius a Patre accipit vim *productricem,* seu spirationem Spiritus ergo Filius quoque una cum Patre Spiritum S. producit: Prima propositio probatur Evangelicis verbis = *Omnia tua mea sunt: omnia, quae habet Pater, mea sunt* = Altera propositio patet ex se: paternitas enim opponitur filiationi: at spiratio neque paternitati, neque filiationi opponitur. Consequentia evidens est.

Hoc argumentum indicant Florentini Patres docentes Sess. ultima = Qui negant Spiritum S. procedere a Filio necessario dividere substantiam Dei . . . et asserere, non totam illam, sed portionem ejus communicari Filio a Patre = Quia Filius non haberet totum quod habet Pater; non enim haberet vim spirandi Spiritum S. Post Anselmum hoc argumentum usurpat contra Graecos Thomas opuscol. IX. = Pater et Filius non differunt invicem nisi in hoc, quod hic est Pater, hic Filius. Habere Spiritum S.

ex se procedentem non pertinet ad rationem paternitatis, neque ad rationem filiationis. Non enim ex hoc Pater dicitur Pater, quia Spiritus S. ab eo procedit: neque filiationi repugnat, quod habeat ex se Spiritum procedentem = Ex hoc deducit Spiritum S. a Filio quoque proficisci. Hoc viderat etiam Cyrillus Alex. scribens = Quidquid de Patre dicitur, hoc omnino de Filio dici necesse est, praeter hoc ipsum quod est Pater sic de Filio = Cum ergo Pater Spirator sit Spiritus S. et Filius Spirator esse debet, quandoquidem in hoc, quo spirant non distinguantur, sed unum sint. Cf. rursus Thomas 9 XXXVI a. 2. Philosophice autem Thomas ita argumentatur c. Gent. l. IV c. 24 n. 5 = Ex hoc ipso, quod dicitur, quod Spiritus S. procedit per modum voluntatis, et Filius per modum intellectus, sequitur quod Spiritus sit a Filio: nam amor procedit a verbo, eo quod nihil amare possumus, nisi verbo cordis illud concipiamus. Vid. etiam n. 6.

Thes. XVI. Fide tenendum est, Spiritum S. ex Patre et Filio *aeternaliter* tamquam ab uno principio et unica spiratione procedere.

D. Potissima objectio Photianorum haec est: si concesserimus Spiritum S. a Patre et Filio procedere, duplex principium induceretur spirationis, quod monarchiam divinam subverteret ipsamque Trinitatem destrueret. At falso omnino; catholici enim profitentur fidem Synodi Florentinae, cujus sunt verba a nobis in propositione enunciata. Catholicae veritatis probationem sic aggredimur.

Argumentum potissimum, quo hoc fidei dogma tuentur catholici, hujusmodi est: etsi Spiritus S. a Patre et Filio procedat, non ideo inferendum est, Spiritum S. procedere a duobus principiis; Pater enim et Filius, *non*

quo differunt, sed *quo unum sunt*, Spiritum S. producunt. Sane: Pater Spiritum S. producit, non ut Pater, secus Filium alium gigneret; neque Filius, ut Filius Spiritum S. producit, secus Filium alium generaret; sed quatenus Pater et Filius *vim communem habent spirandi;* quae cum communis sit ambobus, et in ambobus perfectissime eadem, non duo, sed unum est Spiritus S. principium.

Clarius aliis verbis = Pater *paternitatis nota* persona constituitur, qua nota excepta, omnia Filio sunt communia: Filius *filiatione* persona constituitur; qua rursus filiatione excepta, caetera omnia communia sunt cum Patre: at Spiritus S. persona constituitur *spiratione* vel *processione:* porro *processio* vel *spiratio* non est neque *paternitas* neque *filiatio*: ergo non est propria neque personae Patris, neque personae Filii: ergo est communis utrique, et Spiritus S. procedit a Patre et Filio, non *quo* ad invicem distinguuntur, sed quatenus *unum* sunt, et propterea unum est principium.

Opponunt graeci: productio Spiritus S. a Patre vel *perfecta* vel *imperfecta* est; si *perfecta*, inutilis est spiratio Filii: si *imperfecta*, absurdum sequitur, Patrem non habere totum, ejusque actionem dividi cum Filio.

Respondetur cum Bessarione *a simili*: Pater creat mundum: vel actio creantis Patris est *perfecta*, vel *imperfecta:* si *perfecta*, inutilis est Filii et Spiritus S. actio, quod graeci nunquam concedent: si *imperfecta*, absurdum etc. = Graeci ab hac difficultate se extricare nequeunt, nisi nostram responsionem admittant. — Praeterea, haec difficultas graecorum ex eo oritur, quod arbitrantur nos defendere, *Patrem spirare distincta actione a Filio*:

tunc utique duplex foret principium Spiritus S. — Sed cum Pater et Filius vi communi spirent, communis est actio, unumque principium.

Resumunt graeci: si Spiritus S. non oritur a Patre ut a Patre, et a Filio ut a Filio, sed a vi communi Patri Filioque, illico sequitur, Spiritum procedere *a substantia divina*, quae sola est communis Patri et Filio: hoc autem absurdum est.

R. Non procedit a substantia divina, sed *a vi productrice communi* Patris et Filii: substantia communis est tribus personis; vis spirandi communis est duabus personis: unde vis ista dici potest communis tantum prae Patre et Filio, non vero ita communis, perinde ac cum substantia confundatur.

Instant adhuc: si a Patre Filius oritur, a Patre et Filio Spiritus S., Spiritus erit Patris *nepos*, quod inauditum est.

R. 1.° Spiritus S. non generatur neque a Filio, neque a Patre, adeoque locum non habet haec locutio. 2.° *Immediate, simul a Patre et filio procedit*, unde *nepos* dici nequit, ut liquet ex se. 3.° Retorqueo argumentum: si a solo Patre procederet, ut graeci defendunt, Spiritus S. *frater* esset Filii, quod nemo dixit.

Rursus graeci opponunt: si Filius a solo Patre est, Spiritus S. a Patre et Filio, Pater erit principium magis Filii, quam Spiritus S., et Filius et Spiritus S. aequales non erunt, cum unus ab uno, alter a duobus procedat.

R. Utique a Patre solo Filius oritur; sed et Spiritus S. est ab *uno principio spiratore:* insuper singulae personae seorsim non sunt aliquid majus quam omnes per-

sonae conjunctim sumptae, quia singulae totam, eandemque substantiam habent.

Instant adhuc graeci: ergo Pater et Filius spirantes Spiritum S. confunduntur, et jam non amplius sunt personae: praeterea *μοναρχια* divina subvertitur, quam Patres strenue propugnabant; persona enim Spiritus S. est a duobus.

R. Pater et Filius spirantes Spiritum S. confunduntur, D.: quatenus Spiritum S. spirant, non distinguuntur, C.: quatenus Pater *generat* et Filius *generatur* non distinguuntur, N. Et haec est ratio, ob quam supra diximus, *spirationem activam* personam non constituere, quia non est *proprietas particularis*, sed proprietas duorum, adeoque personam determinare non potest.

Contra graecos observandum videretur hoc alterum, quod a theologis indicatum non invenio: si Spiritus S. esset a Patre tantum, duae proprietates distinctissimae in Patre collocandae forent: proprietas generandi et proprietas spirandi: nonne duae forent personae, altera generans, altera spirans? nonne duae proprietates ad invicem oppositae, spiratio activa et paternitas, generatio et spiratio accepta?

Patrem et Filium spirare ut unum principium, docent et illustrant Patres; Augustinus de Trin. l. V.° c. 32: = Si ergo et quod datur principium habet eum, a quo datur, quia non aliunde accipit illud, quod ab ipso procedit, fatendum est, Patrem et Filium principium esse Spiritus S., non duo principia =. Quod postea similitudine declarat: sicut mundus unum habet principium creans,

quamvis sint tres personae, ita et Spiritus S. unum habet principium, quamvis sit a Patre et Filio.

Anselmus enucleatius de processione Spiritus S. = Non credimus Spiritum S. esse de hoc, unde duo sunt Pater et Filius, sed de hoc, in quo unum sunt. Ita non dicamus duo principia, sed unum principium: quippe cum dicimus Deum principium creaturae, intelligimus Patrem et Filium et Spiritum S. unum principium, non tria principia etc.

Quamobrem inviolata manet divina *μοναρχια*: inviolata manet: 1.° in unitate naturae: 2.° in Filio, qui a solo Patre generatur: 3.° in Spiritus S., qui ab unica procedit *ενεργεια* Patri Filioque communi, quatenus Pater dedit Filio, ut observat Augustinus, ut et ipse Spiritum S. produceret.

Missa facimus plura, quae ex Patribus et theologis colligere possemus, et quae acute scripserunt post obortam quaestionem graeci ipsi, ut Etherianus, Caleca, Demetrius Cydonius etc.

Vide Thomam, qui q. XXXVI a. IV. ex professo demonstrat, unum esse Spiritus S. principium, et l. IV, c. 25 gent. c. 25. opusc. IX.° c. 25 etc. etc.

Thes. XVIII. Explicata potestate vocabuli *processionis*, plures ex Patribus et theologis proferuntur causae, quibus ostenditur, cur processio Spiritus S. cum Filii generatione confundi nequeat.

D. In divinis duae sunt processiones: alia est processio, qua Filius generatur, et alia processio, qua Spiritus S. producitur: at quo differunt generatio et processio? Est catholicae fidei dogma, generationem Verbi a processione S. Spiritus distingui; sed distinctionis rationem et

causam determinare haud facile est, et apud veteres et theologos variae occurrunt sententiae.

1.° Basilius (adv. Sabell. etc. n.° 7.), Nazianzenus (or. 36, 37), Epiphanius (haeres. 69), Joannes Damasc. (l. 1. c. 8.) etc. docent; quoties de rebus divinis sermo est, ea tenenda sunt, quae Spiritus S. in Libris sacris tradidit: Scripturae ss. docent, Filium esse genitum, Spiritum S. procedere, nihil amplius quaerendum: verum haec sententia quaestionem non solvit, sed nodum gladio recidit. 2.° Iidem Patres et Augustinus admonent, discrimen inveniri non posse, quia processio est res ineffabilis = Generationis et processionis esse aliquod discrimen, didicimus: quis sit discriminis modus, nequaquam didicimus: = sic Damascenus (l. c. 10). Et Augustinus: = Non omne, quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur =.

3.° Nyssenus, Basilius et Augustinus nec non Hilarius (Trin. VIII. 20), Paschasius (de Spiritu c. 12) discrimen processionis Spiritus Sancti et generationis Verbi in eo collocant, quod Filius ab uno Patre existat, Spiritus S. a Patre et Filio procedat. Unde Isidorus Hispal. l. 7 Orig. scribit: = Hoc interest inter nascentem Filium et procedentem Spiritum, quod Filius ex uno nascitur, Spiritus Sanctus ex utroque procedit. = Sed quaestioni non est satisfactum: quaeritur enim, in quo proprietas generationis a proprietate processionis secernatur, non a quo, vel quibus haec proprietas processionis sit.

4.° Nyssenus, Bessarion, Caleca et alii dixerunt: Filius *immediate* a Patre, Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit: haec ratio vel nihil dicit, vel supponit, Spiritum

Sanctum spirari a Patre *mediate*, a Filio *immediate*, quod est manifestus error.

5.° Augustinus propius accessit scribens: = Quia Spiritus exiit non ut natus, sed ut datus. = Et clarius in l. IX. 12. de Trinitate = Mens notitiam suam gignit, cum se novit: et amorem suum non gignit, cum se amat =. Notitia seu verbum est mentis proles, et rei cognitae similitudinem praesefert, non ita amor: Filius procedit a Patre per modum intellectus, et totam Patris imaginem reflectit, sicut idea mentis mentem reflectit: Spiritus S. a Patre et Filio per modum *effluentiae* et *amoris* procedit, in quo *immediate* et *proprie similitudinis* ratio non comprehenditur.

Egregie Anselmus monol. c. 8 = Verbum, mox ut consideratur, se prolem esse ejus, a quo est, evidentissime probat, promptam praeferendo imaginem Patris: at Amor aperte prolem se negat; quia dum a Patre et Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti, ejus, ex quo est, similitudinem. =

Thomas autem luculentius, omissis aliis locis, q. XXVII. a. 4: = Processio amoris in divinis non debet dici generatio. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod haec est differentia inter intellectum et voluntatem, quod intellectus sit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem: voluntas autem fit in actu non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam. Processio igitur, quae attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis: et in tantum po-

test habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem, quae attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid. Et ideo, quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius, sed magis procedit ut Spiritus: quo nomine quaedam vitalis motio et impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum. = Quibus verbis nihil clarius addi potest.

Opp. Cum Filius et Spiritus sint ejusdem substantiae, eandem similitudinem habere debent.

Res. Cum Petavio, Suarez, Anselmo et Thoma: habent eandem similitudinem, *materialiter*: C. *formaliter* N. Vide, Thomam l. c. ad II, ubi hanc difficultatem diluit. (Conf. Petav. l. VII. c. 13. 14.)

Coroll. Processio est nomen, quod latius patet nomine generationis: unde Filius dicitur procedere aeque ac S. Spiritus; at Spiritus S. dici non potest generatus.

Thes. XVIII. Quando Patres dicunt, Spiritum Sanctum procedere a Patre *principaliter*, procedere a Patre *per eum, qui est proxime a Patre,* procedere, *interposito Patre, per Filium,* non inficiantur processionem etiam a Filio, neque duplex inducunt principium, sed originem Filii a solo Patre, Spiritus Sancti ab utroque demonstrant.

D. Locutiones istae, quibus graeci tantopere abusi sunt, negantes a Filio quoque Spiritum Sanctum produci, facile intelligi possunt, dummodo haec considerentur:

1.° Patres isti, qui hujusmodi locutiones frequentarunt, Spiritus S. processionem a Filio tradiderunt.

2.° Quando dicunt, Spiritum Sanctum esse *principaliter a Patre*, *implicite* concedunt, *etiam a Filio procedere*, ut ex se patet.

3.° Dicitur Spiritus S. *principaliter* a Patre, quia solus Pater a nullo accipit, quod habet, et dat ipsi Filio, quod Filius cum Patre Spiritui S. communicat.

4.° Dicitur Spiritus Sanctus produci a Patre, *interposito Filio*, ad significandum, Filium esse secundum post Patrem, et a Patre procedere. Neque aliter accipienda est locutio illa = *procedere a Patre per Filium.* =

5.° Caeterum Petavius fuse et invicte ostendit, particulas a (λκ), per (δια) ejusdem esse potestatis. Conf. etiam Thom., qui q. XXXVI. a. 3. quaerit, utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium, et affirmat ex eo, quod intelligantur agentes tum ille, qui habet principium actionis, tum ille, *per quem* res fit: imo si bene consideremus, haec locutio — Spiritus Sanctus a Patre per Filium procedit — tam usitata apud graecos, dum significat etiam Filium Spiritum S. spirare, fortassis melius indicat, Patrem esse fontale principium, ex quo et Filius accipit, ut Spiritum Sanctum producat.

Solebant graeci quaedam loca Patrum opponere, in quibus edicebatur, Spiritum Sanctum esse *a solo Patre.* At sunt vel libri apochriphi, vel corrupti, ut iterum atque iterum graeci facere consuevere. — Quoad Patres illos, qui dicunt, Spiritum Sanctum esse a Patre, quin Filium memorent, obvia est responsio: 1. quod silentio premitur, non negatur: 2. implicite continetur: 3. quandoque solus Filius memoratur, quin Pater indicetur: etc.

THES. XIX. Immerito graeci Photiani ecclesiam latinam insimulant ob insertam symbolo Nic. Const. particulam *Filioque*.

D. In conc. Florent.°, ubi graeci et latini concurrerunt, et concordia sancita fuit, duo precipue capita proposita et agitata fuerunt: 1.° Utrum Spiritus sit etiam a Filio; 2.° Utrum fas latinis fuerit symbolo Nic. Const.° addere particulam *Filioque*: ob hanc particulae *Filioque* insertionem graeci latinos accusabant, utsymboli violatores, et Ephesini concilii contemptores.

Animadvertendum est, Patres conc. Ephesini legem tulisse, ne quis symbolo Const. Nic.° aliquid adderet: inde graeci photiani occasionem arripuerunt accusandi latinam ecclesiam violati symboli, et contemptae synodi Ephesinae ob insertam particulam *Filioque*

Quinam primus omnium particulam illam addiderit, non est satis exploratum. Certo insertae particulae auctor non est censendus Joannes Damascenus, ut arbitratur Manuel Caleca, neque Pontifex Romanus, ut ex ratione agendi Leonis III. cum legatis concilii Aquisgranensis novimus.

Haec particula recepta videtur primum in Hispania: eam enim legimus in Concilio Toletano I. anni 400, Toletano III. anni 589, Toletano IV. anni 634, Toletano XI. anni 675: non tamen eam symbolo inseruerunt. Deinde, in plurimis ecclesiis Galliae mos obtinuit, imperante Carolo Magno, recitandi symbolum in Missa, addita particula *Filioque*: sed non omnes conveniebant, ut constat ex verbis legatorum Concilii Aquisgranensis, qui Romanum Pontificem adierunt, il-

lumque hac de re consuluerunt. Deinde, paullatim formula in Italia nostra recepta fuit, et in ipsa Romana Ecclesia invaluit, cujus auctoritate firmata est.

Quibus praemissis, quaerimus, utrum licuerit necne particulam illam inserere? Utrum latini, ita se gerentes, Ephesinum praeceptum conculcaverint?

Licuit, et nulla fuit Ephesini praecepti violatio.

A) Ephesinum Concilium praecepit, ne quis symbolo statuto quidquam adderet, idest alia adderet *opposita*, *contraria* vel *diversa*, vel etiam *orthodoxa*, sed *privatorum auctoritate* vel *arbitrio;* non autem additamenta vel conciliis vel Romano Pontifici, totius ecclesiae Capiti, interdixit ant interdicere potuit,

Quis enim sibi persuadere poterit, Ephesinos Patres quodlibet additamentum symboli aliis vel supremo Pastori prohibuisse? At, si hoc concedatur, necesse foret supponere, Patres illos credidisse, omnia dogmata revelata, in symbolo Constantinopolitano — Nicaeno contenta esse, vel concilia sequentia et Romanos Pontifices eadem potestate non esse locupletatos, qua ipsi utebantur neutrum autem supponi potest: ergo praeceptum illud neque pontificem, neque ecclesiam respiciebat, sed *prietatos*, vel formulas fidei ipsorum privatorum *contrarias*: *vherodoxas*.

B) Calcedonense Concilium, paullo post celebratum, approbavit additamenta a 150 Patribus Constantinopol. facta: neque tamen graeci Calcedonenses Patres reprehenderunt.

C) Etiam post latam Ephesini legem, professiones fidei particulares ecclesiarum Antiochenae, Hierosolimitanae, Philadelphiensis etc. vigebant: vigebant symbola Apostolicum,

Athanasianum, Taumat.; neque graeci unquam sunt protestati. Ergo.

D) Graeci in synodis VI. et VII. oecumenicis, in symbolo professi sunt: = Credimus in Spiritum Sanctum vivificantem, qui ex Patre per Filium procedit: = Quod synodis illis licuit, quod graeci facere potuerunt post Ephesinos canones, cur Ecclesia Latina, cur Pontifex facere non potuit? —

E) Paucis: quod Patres crediderunt, quod Scriptura docet, quod revelatum est, hoc in symbolo *explicite* profiteri possumus, et si oporteat, profiteri tenemur: porro certum est ex demonstratis, processionem Spiritus Sancti a Filio revelatam esse: poterat igitur tanquam fidei dogma in symbolo recenseri.

F) Si quid Photianorum argumenta probarent, hoc unum evincerent, post Ephesinam Synodum nullum alium symbolum, nullum canonem, nullam professionem fidei, neque ab episcopis seorsim, neque in conciliis coactis, neque a Pastore universali fieri posse; quod tum rationi agendi ipsius Ecclesiae, tum rerum naturae apertissime repugnat: novi enim errores, nova hominum commenta, novas Ecclesiae declarationes, novasque definitiones postulant, ut ex experientia quotidiana apparet: non potuit igitur Ephesinum concilium sancire, ne alia concilia legitima, vel totius ecclesiae caput alias fidei professiones pleniores, prout necessitas postulaverit, proponerent et imponerent.

G) Denique qua fronte graeci ecclesiam rom. violati symboli accusare audent, cum et ipsi in conciliis Lugdunensi et Florentino idem symbolum solemniter una cum latinis cecinerint, et declaraverint, particulam

illam *licite et rationabiliter fuisse appositam, veritatis declarandae gratia, imminente tum necessitate?*

CAPUT OCTAVUM

De divinarum personarum missione.

Thes. XX. Explicata duplici ratione missionis divinarum personarum, dicimus: 1. Duas dari *missiones aeternas*, qua Filius a Patre, et S. S. a Patre et Filio procedit. 2. Duas dari *temporales missiones*, scil. Filii et S. S.

D. I. p. Non est ambigendum in divinis haberi missiones, cum de eisdem in ss. scripturis mentio passim occurrat. Jo. 8. 16: = Non sum ego solus, ait Christus, sed ego et qui misit me Pater =. 14. 26: = Paraclitus S. S., quem *mittet* Pater in nomine meo = 16, 7: = Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, *mittam* eum ad vos =. Alia testimonia praetermitto. Certum est igitur, haberi personarum divinarum missionem.

Missionis istius notio non est sumenda humano more, ut habeantur motus, egressus, separatio, etc. sed citra imperfectiones et methaphorice.

Quidam arbitrati sunt missionem personarum nihil aliud esse, quam processionem unius personae ab altera, sicut arbor dicitur flores vel fructus mittere; at licet hoc verum sit, notio tamen missionis non satis explicata videtur: missio enim in ss. scripturis, et juxta Patrum doctrinam, et nominatim Augustini, constanter cum externa missione vel manifestatione conjungitur.

Alii cum Petro Lombardo existimarunt, missionem

nihil aliud esse, quam ipsam temporalem alicujus effectus operationem, ex qua persona divina denominatur.

Haec est vera et genuina missionis divinae notio: = Missio est processio aeterna et interna unius personae ab altera cum habitudine, seu relatione ad effectum temporalem =. Quae descriptio consona est cum illa, quam s. Thom. exhibet q. XLIII. a 1. = Missio divinae personae convenire potest, secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, et secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio: sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam =. Quapropter in missione divina duo includuntur: 1. Processio aeterna secundum originem: 2. externa processio, quae ex effectibus cognoscitur.

Haec est mens non solum Thom., sed Cajetani, Durandi, et aliorum apud Suarez, Petav.. etc. etc.

D. II. p. Hinc facile est statuere, quot sint in divinis missiones aeternae, et quibus personis competant.

Pater non potest dici missus, et nunquam in scripturis dicitur missus: = cum Pater non sit ab alio, sic Thom. l. c. a. 4., nullo modo convenit sibi mitti, sed solum Filio et S. S., quibus convenit esse ab alio =. Cum autem Pater non mittatur ad intra, utpote ingenitus, neque ad extra temporali missione missus dici potest; haec enim illam sequitur.

Quis opponere posset: Jo. XIV. 23. Christus dicit, se et Patrem venturos esse et mansionem facturos apud justos: videtur igitur missus temporali missione.

Respondere possumus: omnes personae divinae in a-

nima justi veniunt, et quodam ineffabili modo inhabitant, quia separari nequeunt: *venit* utique et Pater cum Filio et S. S., non *datur* neque mittitur.

Objiciunt: Filius dicitur missus a S. S. Is. III. 16: misit me Dominus Deus et Spiritus ejus. =

Responsio facilis et jam supra indicata: Christus dicit, se missum a Spiritu et unctum ratione assumptae naturae, minime vero ratione internae missionis.

Ut intelligatur, cur missio *interna* et *externa* divinarum personarum sit conjuncta, observandum venit: interna missione seu processione persona accipit una cum substantia auctoritatem et voluntatem etiam ad extra operandi, et propterea quod ad extra operatur, ideo operatur, quia virtutem in processione accepit, seu, ut scribit Suarez, per processionem internam originis personae imprimitur vis operatrix, et hoc modo dicitur mitti.

Missio personarum externa bifariam dividitur, alia est *invisibilis*, alia *visibilis:* Filius *visibiliter missus* fuit, quando per carnem suam apparuit: *invisibiliter*, quando per *gratiam*, per *fidem*, etc. dicitur in nobis habitare. Unde et S. S. *visibilis* apparuit ad Jordanem et super Christum descendit specie columbae, et in coenaculo super apostolos sub specie ignis: *invisibilis*, quando corda hominum purificat, sanctificat, ibique habitat, etc.

Cujusmodi autem sit haec habitatio s. Trinitatis per gratiam, utrum sit substantialis ipsius Dei participatio, vel tantum cujusdam creatae qualitatis infusio, etc. ubi de gratia erit disputandum, dicemus.

Scolion 1. Inter externam et visibilem missionem Christi, qua homo factus est, et externam visibilem S. S. missionem, hoc intercedit, quod Filius vere humanam

naturam assumpsit, eamque sibi in unitate personae copulavit; S. S. autem *in quantum fuit monstratus in quibusdam creaturis, sicut in signis ad hoc specialiter factis* (Thom. q. 43. a. 7 ad 2. = Aug. 11. Trin. c. VI.).

Scolion 2. S. Thom. l. c. demonstrat, convenientem fuisse missionem visibilem Filii et S. S., et quidem diversa ratione: = Deus providet omnibus secundum uniuscujusque modum. Est autem modus connaturalis hominis, ut per visibilia ad invisibilia manuducatur.... Et ideo invisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari. Sicut igitur seipsum Deus et processiones aeternas personarum per creaturas visibiles secundum aliqua indicia hominibus quodammodo manifestavit, ita conveniens fuit ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum aliquas visibiles creaturas manifestarentur. Aliter tamen Filius et S. S. Nam S. S. in quantum procedit ut amor, competit esse sanctificationis donum: Filio autem in quantum est S. S. principium, competit esse sanctificationis hujus auctorem. Et ideo Filius visibiliter missus est, tanquam sanctificationis auctor, sed S. S. tanquam sanctificationis indicium. =

Scolion 3. Quamvis missio externa semper internae missioni seu origini respondeat, observandum tamen est (S. Thom. l. c. a. 8.), posse aliquo sensu personam dici missam etiam ab ea, a qua originem non ducit: = Si persona mittens designatur ut principium personae, quae mittitur, sic non quaelibet persona mittit, sed solum illa, cui convenit esse principium illius personae.... Si vero persona mittens intelligatur principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam. =

TRACTATUS DE DEO CREANTE

Nazianzenus duplicem progressionem divinam distinguit, quarum prior *interna* et *aeterna* est, qua Deus trinus est, altera *externa* et *temporalis*, qua res creatae sunt : huic duplici progressioni duplex scientia respondere debet; prior versatur circa divinam progressionem internam, seu Trinitatem, eamque nuper expedivimus : posterior respicit progressionem Dei ad extra, qua res producit. — At duplex concipi potest Dei progressio ad extra; progressio qua res e nihilo producit, naturam constituit, unde naturalis ordo repetendus est : et progressio, qua res conditas elevat, charismatibus ipsius vires excedentibus auget, unde ordo, qui dicitur supernaturalis, oritur. Primum de Deo naturalis ordinis auctore disseremus, deinde de Deo supernaturalis ordinis institutore disputabimus : quamvis enim uterque ordo syncronus esse possit (et revera ita est), nihilominus logica quadam ratione natura suipsius elevationi praeexistere debet.

En ordo tractationis : cap. 1. de ratione creationis : 2. de causa efficiente creationis: 3. de causa exemplari: 4. de causa finali: 5. de termino creationis.

CAPUT PRIMUM

De ratione creationis.

THES. I. Creationis vocabulum sicut e censu vocaborum expungi non debet, neque cum generatione vel effectione confundi potest, ita christiana ejusdem potestas productionem ex nulla praejacente materia importat.

D. Quidam recentiores philosophi Pantheistae, praesertim germani et gallici, inter quos eminet D. Lecutrie (apud com. Av. Della Motta in op. Il social. etc. p. 2), contendunt, nomen creationis expungendum esse a qualibet lingua, utpote absurdam praeseferens idaeam. — At prorsus falso. Nam: 1. Hoc vocabulum Judaei ante Christum, tempore Christi, et post Christum, ipsique Gentiles usurparunt, et christiani omnes usque in hodiernum adhibent: cum igitur vox ista fuerit et sit communissime adhibita, insaniae est eandem ex lessicis expungere. — At dicunt: vox, quae idaeam absurdam exprimit, obliteranda est. Verum 2. Absurditas creationis nunquam probata fuit, neque probabitur. Imo 3. suo loco contrarium evincemus. 4. Etiam si absurda esset idea, consequentia neganda foret, siquidem sunt plures voces, quae non habent sensum, vel aliter intelligendae sunt, ac sonant, ut voces *nihil, spiritum* etc. quae tamen frequentantur.

Vox ista, sic illi, ansam praebet infinitis quaestionibus: ergo seponenda est.

At quot voces innumeris quaestionibus occasionem dederunt! Quis ignorat quaestiones excitatas ob voces

consubstantialis, *theotocos*, *transubstantiatio* etc.? Et tamen catholici usum istorum vocabulorum non reliquerunt, sed potius iisdem tenacius inhaeserunt: erant enim veluti tessera, quibus catholici ab acatholicis secernebantur.

Creatio significat *actionem*, ut vocabula fere omnia eodem modo desinentia: *creatio* duplici sensu accipi potest, videlicet sensu *activo* et sensu *passivo*: priori sensu significat actionem divinae voluntatis res ex nihilo efficientis: altero sensu significat ipsam rerum productionem, vel melius, existentiae acceptionem: quilibet tamen intelligit, secundo sensu *improprie* sumi, quia nullum est aut esse potest subjectum, quod existentiam accipiat.

Varia est hujus vocabuli potestas. Apud prophanos usurpatur etiam pro *generatione*: ita Cicero de republ. et Virgilius: 2.° pro artificum operationibus; sic Cic. rursus et Ennius = Dicitur Vesta hanc urbem creasse =. 3°. Pro electiine ad pubblicum munus; sic consules et imperatores creari dicebantur. 4°. Pro actione quacumque perillustri; sic dicimus, Cuvier creasse geologiam etc. etc.

Significatio hujus vocabuli strictior et fixa apud christianos et catholicos ea est, qua significatur *productio rerum ex nihilo subjecti*, ut ajunt. S. Thom. definit ita =: creatio, quae est emanatio totius esse, est èx non ente quod est nihil =. (9. 45. a 1.).

Recolantur, quae diximus supra (tract. de Trin.), quod spectat ad vim et usum vocabulorum *facere*, *generare* et *creare:* primum est amplissimum, et potest significare *generationem* et *creationem:* alterum includit *con-*

substantialitatem producentis et rei productae: tertium autem *consubstantialitatem* excludit. Cf. Aug. de lib. arb. l. 1. c. 2. — de Gen. ad litt. l. 1, c. 1. et alib. etc. Fusius creatio sic describi potest = Operatio causae efficientis qua tota rei substantia, seu essentia simpliciter ex nihilo producitur =; quae definitio substantialiter in difinitionem d. Thomae recidit. — Et hanc fuisse notionem, quam Patres vucabulo creationis subjiciebant, quae sequuntur ostendunt.

1.° Patres loquentes de creatione affirmant, eam esse productionem ex non exstantibus — *εΣ ουχ οτιον* (*εος*) *παντα εποι σ* — (Theophilus Antioch. l. 2. c. 10, cui suflragantur Haermas, Eus. Caes., Orig.). Athanasius, de incarn. Verbi tradit, divinam esse doctrinam, qua profitemur, mundum *non fortuito factum*, neque ex *praeiacente materia*, quia Deus non est imbecillis, sed ex *non exstantibus* omnia *fecisse*, et deinde profert v. 1. Gen. Cf. etiam auctorem antiquis simum respons. ad orthodoxos n. 33: Maximun M., Basilium Chrisostomum et alios, qui distinguunt inter qualitatem et substantiam rerum, et affirmant, tum qualitatum tum substantiae Deum creatorem esse.

2.° Idipsum confirmant Patres, quando distinguunt primam et secundam creationem, idest substantiae productionem, et productae substantiae expolitionem, quae dicitur creatio secunda, et utramque Deo tribuunt.

3.° Denique quaenam fuerit eorum mens colligimus ex iis locis, in quibus ipsi discrimen inter potentiam Dei et hominum ponunt: Deus, dicunt, ex nihilo res facit, homo vero res existentes aliter atque aliter format; Deus est creator, homo factor tantum, etc. Cf. Hyppolitum apud Galland., Aug., Fulg., Hier. et Damasc. Si

Deus res omnes e nihilo non condidisset, vere *Dominus* non esset, *imbecillis* foret, utpote materia indigens, neque rerum *possessor* vere dici posset, et alia hujusmodi.

Nulla igitur dubitatio, Patres omnes, quod attinet ad creationem rerum ex nihilo, conspirasse.

Scolion. Non negamus, quasdam Patrum locutiones reprehendendas, ex. gr. Tatiani, qui c. 5.° contra Graecos, vocat materiam *genitam a Deo.* At distinguenda est quaestio realis a quaestione vocabuli: procul dubio haec locutio respuenda est; verum mens Tatiani aperte cognoscitur, ubi c. IV.° Deum solum appellat
sine principio, creatorem tum formae tum substantiae, Deum solum adorandum, Dominum omnium rerum, visibilium et invisibilium hypostasim etc. quae cum materia aeterna repugnant. Ergo.

Eodem modo solvuntur, quae erui solent ex Methodio de lib. arb., ubi comparat *actionem Dei creatricem* cum operationibus artificum: comparatio est *inadaequata*, et ex contextu verus germanusque sensus deprehenditur.

Opponunt etiam Eus. l. IV.° c. 1 Demonstr. ev., ubi rejicit hanc phrasim = materiam esse ex non extantibus =. At Eus. docet, Deum producere omnia per voluntatem; esse causam rerum efficientem, rebus dedisse *ουσιαν*, non solum *μορφας*, aeternum esse, creatorem, non ita res, etc. — Ad rei perspicuitatem notandum est, locutionem illam = materiam esse ex non extantibus = multiplici sensu sumi posse.

Sumi potest: 1.° Pro simplici negatione praeexistentis materiae, ex qua producatur; 2.° quatenus affirmatur nihil esse velut caussam, a qua, vel per quam producatur substantia. Profecto propositio secundo sensu

accepta falsissima est, et optime affirmare possumus, res non esse ex nihilo, scilicet non fiunt a nihilo, ac si nihil esset causa producens, vel ex qua res producantur. Et Eus. hoc tantum sensu propositionem supra memoratam negabat.

Observandum rursus venit ad cavillationes praecavendas, non ideo negari posse argumentum ex Patribus depromptum, quatenus et philosophi gentiles, ut Plato, Philolaus, et Sextus Empiricus, et Aristoteles dixerunt et ipsi mundum ex nihilo factum, et tamen materiam aeternam admittebant. Nam: 1.° locutio Patrum ex contextu, ex adjunctis clarescit: e contra eadem locutio a philosophis paganis usurpata supponit et diserte affirmat materiam aeternam, quam Patres negant; 2.° Patres dicunt res esse *εξ ουχ οντα*, philosophi e contra *εξ μη οντων*: locutio PP. negat praeexistentem substantiam simpliciter; locutio philosophorum negat tantum materiam ordinatam, ut oretenus esplicabo.

Thes. II. Creatio rerum omnium ex nulla praejacente materia probatur ex plurimis, certisque doctrinae capitibus utriusque Testamenti, et nominatim ex oraculo Geneseos 1. 1.

D. 1.^e partis. Deus saepe saepius appellatur *Dominus*, *Dominatio*, *Dominator*, *Jeova* etc. sensu *absoluto* et *simplicissimo* ita, ut omnia dicantur Deo obnoxia, eique obtemperare teneantur: porro si materia esset *infecta*, vel non *creata*, nulla omnino concipi posset *dependentia*: ergo etc. Siquidem materia esse a seipsa haberet, adeoque esset *aeterna, absoluta, independens* Hinc legimus Ester XIII. 9 = Domine, Domine, rex omnipotens, in *ditione* tua omnia sunt posita: tu (en caussa dependentiae) fecisti coelum et terram, et

quiquid coeli ambitu continetur = Deut. XVI, 17 = Dominum time, et illi soli servies. Confer. Proverb. VIII. 23, Isaiae XLVIII. 12, 13, Ps. CI. etc.

Praeterea, digna sunt quae recolantur verba Pauli ad Romanos IV. 17 = (Deus) qui vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt = Norunt omnes, verbum *vocare* significare etiam *facere*, *producere;* ex gr. *Dixit, et facta sunt = Dixit Deus, fiat lux etc.* = *Vocavit famem super terram etc.* = Et in loco citato idem est sensus, ut patet ex se. Jam vero, ut ea, quae non sunt, sint, exigitur, ut essentia iisdem tribuatur, et propterea ex nihilo fiant.

Ad Hebraeos XI. 3. legimus = Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent = Scilicet novimus ex fide, saeculà creata et statuta esse divina virtute ita, ut ex invisibilibus (*μη εκφαινομενων τα βλεπομενα γεγονενοι*), non *apparentibus*, non *extantibus*, quae videntur fierent. Aliis verbis: Deus sua potentia effecit, ut ea, quae non videbamus (et ideo non videbamus, quia non erant), ea videremus, quatenus facta sunt. Ergo quae nunc videmus, non erant, et verbo Dei facta sunt.

Ad Ephes. 1. 4. Joan. 1. 3, XVII 5 = Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem etc. = Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est = Clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te = Hinc deprehendimus: 1.° Mundum aliquando non fuisse; et ante mundi *constitutionem*, vel *creationem* fuisse Deum; 2. omnia a Deo per Verbum facta esse, et 3.° nihil sine Verbo factum esse; quae locutio affirmans,

et potissimum qua negans est, evidenter creationem rerum ex nihilo demonstrat; res enim exhibentur eatenus existentes, quatenus per Verbum ad existentiam vocantur ita, ut sine ipso nihil sit.

II. Machab. VII. 28, mater ita filium natu minimum alloquitur: = Peto, nate, ut aspicias ad coelum, et terram, et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus = Haec verba sua ipsa evidentia se commendant.

D. 2. P. Testimonium classicum et fusius explicandum est illud Moysis Gen. 1. 1. = In principio creavit Deus coelum et terram; terra autem erat inanis et vacua. =

1.° Ex professo Moyses originem et formationem rerum exponit: debet igitur omnia, quae necessaria sunt, dicere et explicare; jamvero hic nullum praexistentis materiae indicium, qnae tamen indicanda fuerat, ut narratio suis omnibus numeris absoluta esset. Cum ergo nulla fiat materiae praeexistentis mentio, merito inferimus, eam neque fuisse. 2.° Argumento *neganti*, quod hic *aienti* aequipollet, alterum succedit: *Coelum* et *terra*, apud prophanos aeque ac sacros, significat rerum omnium universalitatem: si ergo universalitas rerum ex aliqua praejacente materia educta fuisset, Moyses non potuisset dicere: Deus creavit coelum et terram, idest omnia; nam materia illa infecta non comprehenderetur. Ergo. 3.° Eo vel magis, cum in versiculis sequentibus, Moyses loquens de singulis creaturis, diserte docuit, unde productae fuerunt: *Producat terra* etc. 4.° Philo, Josephus Hebraeus, Moses Maimonides, Eusebius, Czarcovius, Basnagius, Bruckerius, et alii tradunt, Hebroeos

creationem ex nihilo professos esse constanter, et quidem auctoritati Moysis innixos: est ne verosimile, Hebroeos omnes antiquissimos primum Moysis versiculum non intellexisse? 5.° Neque aliter verba Moysis intellexerunt Christiani omnes quacumque aetate. 6.° Auctoribus antiquis et recentioribus testantibus, scopus Moysis in primo versiculo fuit *dogmaticus* et *polemicus*, videlicet volebat originem rerum aperire, et errores refellere: opus erat igitur, ut perspicue diceret, quaenam erat haec rerum origo, et ex qua materia res omnes factae fuerant si factae fuissent: ergo nulla materia praejacens. 7.° Indicat diserte caussam *effectricem* et *formatricem*; cur non indicasset *caussam materialem*, si extitisset? 8. Moyses duplicem distinguit creationem, *primam* et *secundam*: in versiculis 3, 4, et 5, narratur fuse creatio secunda, seu evolutio substantiae; ergo in primo vers. sermo est de prima creatione, seu de produtione substantiae. 9. In primo versiculo dicitur, *Deus creare*: non potuit creare nisi *formas*, vel *substantias*: non formas, quia de formis postea: ergo *substantiam* creavit. 10. Evincimus ex voce *creavit* (Barà), quam Alexandrini vertunt *εποιησε*; constat enim verbum Barà (creavit) in *kal* constanter significare productionem ex nihilo, ut ex comparatione locorum deducitur: ex gr. Isaiae. XLIII. 7 etc. ut testantur peritiores rabbini, Moyses Maimonides David Kinchi, et alii. Quod si aliquando vox ista significat *formationem* ex praeiacente materia, est semper in Pihel, ut observant haebraici idiomatis periti. Hanc veritatem, quam Patres unanimiter praedicarunt, et symbola profitentur, Concilia definierunt, ut Lateranense IV. Cap. Firmiter: = Unum esse (definimus) creatorem omnium,

qui simul ab initio temporis (alludit ad Genes. 1.) utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam. =

Accedunt rationis philosophicae momenta. Si substantia finita creata non esset, aeterna dicenda et credenda foret, adeoque vero proprioque sensu Deus esset: attributa enim omnia ita inter se nexa sunt, ut, uno concesso, caetera omnia necessario consequantur. Porro si mundus, si universus orbis Deus esset, mutationibus obnoxius evaderet, homo Deus esset, et Deus homo, materia et spiritus, nulla foret libertas, nulla distinctio veritatem inter et errorem, virtutem et vitium, justum et injustum, bonum et malum, ut observat Pontifex Pius IX. in allocutione = Neminem quidem = (9. Junii 1862), et in Syllabo propos. I.ª

Praeterea, mundus potest concipi ut existens, et non existens, idest concipitur ut *continges*, non ut *necessarius*: non habet igitur sui ipsius rationem existendi, et idcirco habet ab alio, nempe a Deo. Idipsum denique comprobatur ex ipsa natura rei finitae, dependentis, possibilis etc. Vide Thom. l. 1. q. XLIV. art. 1. 2. opusc. XV. c. 9. l. 11. c. Gentes c. VI. XV. XVI. etc.

Opp. 1. Idea creationis est idea philosophica, quam paullatim Patres, et Theologi S. Libris, et Moysi prae caeteris, adscribunt.

R. Nego prorsus: namque ignota fuit omnibus philosophis, et clare, ut audivimus, in Scripturis continetur.

Opp. 2. In Sapientia XI. 18. scriptum est = (Deus) fecit mundum ex informi materia; = quae verba parallela sunt initio Geneseos, dummodo ita legatur: =

Cum Deus fecit coelum et terram, materia erat inanis et vacua. =

R. In Sapientia sermo est de creatione secunda, C.; de prima, seu de substantia, N. Verba Sapientiae parallela sunt versiculis posterioribus. Versio autem illa initii Geneseos est perversio textus, ut quisque intelligit. *In principio* praeponitur *cum*: *cum creavit, fecit*: nulla habetur ratio neque structurae, neque puncti, et hoc posito, errores omnes Bibliis defendi possent.

Op. 3. Ex nihilo nihil fit; creatio igitur ex nihilo, antiquissimo illi effato adversatur.

R. Ex nihilo nihil fit, idest nihil nihil ex se fit, C.; ex nihilo nihil fit potentia creata pariter C.; divina virtute, N.

Op. 4. Materia ante creationem, vel erat in Deo, vel extra Deum: utrumque falsum: ergo etc.

R. Non erat in Deo *formaliter*, *materlialiter*, C.: virtute, potentia, scientia, N. Extra Deum, N.

Op. 5. Creatio concipi non potest: ergo etc.

R. *Plene* et *adaequate* concipi non potest, C.; nullo modo omnino, N.

Op. 6 Data creatione, consequens foret, esse aeternam, ut aeterna est causa efficiens.

R. 1. Creatio non est generatio, sed est productio externa rei, adeoque creaturae aeternae esse nequeunt. 2. Voluntas creandi in Deo aeterna est, C.; terminus, N.; quia ille, qui ab aeterno mundum cognovit creandum, creavit quando ipsi placuit. (Conf. Thomam cont. Gentes L. II. c. 30. Vide P. Felix Confer. etc.).

Scholion Juverit ad diluendas et praeveniendas difficultates, quae ex geologia erui solent, nonnulla hic

animadvertere, quae fusius pertractata invenietis in Effemeride = Civiltà Cattolica = in opere de Creatione, Patris Pianciani, apud Wisemann, Pini, Nicolas etc. quaeque ad haec capita revocamus.

1. Cronologiam mosaicam incipire *verisimiliter* ab hominis creatione.

2. Nihil impedire, quominus sex dies creationis sint indefinitae quaeque longissimae aetates, vel epochae: imo hanc interpretationem longe probabiliorem esse, intrinsecis et extrinsecis argumentis.

3. Hac ratione optime conciliantur, quae geologi affirmant de vetustate orbis terrarum.

4. Si haec interpretatio quibusdam non arridet, supponant, Deum miraculo ea omnia fecisse, quae tam diuturnam mundi aetatem postulare videntur.

5. Denique observandum est, scientiam geologicam, ethnographicam, linguisticam, mirifice comprobare narrationem Mosaicam, quod attinet ad ordinem creationis, ad diluvium, unitatem idiomatis, dispersionem gentium etc.

Thes. III. Regulae omnes ecclesiasticae postulant, ut productio rerum ex nihilo inter illas veritates censeatur, quibus Catholici ab etherodoxis dirimuntur.

D. Sociniani et Arminiani contendunt, doctrinam creationis ex nihilo teneri quidem posse, sed non esse ejusmodi, ut si qui scientes volentesque eam inficiati fuerint, idcirco in haeresim lapsi, et a Christiana professione extorres existimandi sint. Namque haec doctrina creationis, vel non continetur in divinis oraculis, vel admodum implexe continetur, ut libera censenda sit. Sic illi: at praepostere omnino.

Ut doctrina aliqua inter dogmata *formaliter* collocata credatur, haec duo requiruntur, et sufficiunt: 1.° ut in S. Litteris, vel traditionis monumentis contineatur, videlicet contineatur in regula fidei, quam dicimus *objectivam;* 2.° ut quod continetur in fide *objectiva,* ab Ecclesia, quae est regula *proxima* fidei, proponatur ut divinitus revelatum. Primum supra jam vidimus, alterum ostendemus.

1.° Quod in Symbolis, professionibus fidei etc. continetur, ab Ecclesia certe propositum credi debet. Jam vero, in Symbolis Apostolico, Nicaeno, Constantinopolitano, Hierosolimitano, Antiocheno, Athanasiano, Gallicano etc. creationem profitemur; ergo.

2.° Patres hoc doctrinae caput. ut fidei dogma habuerunt. Iraenus L. 1. c. 22 = Cum teneamus regulam veritatis, idest, quia sit unus Deus omnipotens, qui omnia condidit per Verbuum suum, et aptavit, et fecit ex eo, quod non erat, ad hoc ut sint omnia etc. = et plura citat Scripturae loca, et pergit = omnia facta sunt, et nihil infectum est, sed omnia per ipsum fecit, sive sensibilia, sive invisibilia, sive temporalia, sive sempiterna: hanc tenentes regulam facile arguimus, eos errasse (idest gnosticos). = Ergo veritas ista pertinet ad regulam fidei, teste Irenaeo. Sic Origenes, Gregorius, Nissenus, Athanasius, Augustinus, Nazianzenus, Martyres in suis confessionibus etc.

3.° Valentinus, Marcion, Seleucus, et alii gnostici, in censu haereticorum habiti fuerunt, quia materiam aeternam defendebant. (Vide Irenaeum, Tertull. Hieron.)

4.° Schola universa suffragatur, cujus authenticus testis est Thomas q. XLIV., XLV., et alibi.

5.° Habemus definitiones Conciliorum explicitas, ut in Lateranensi IV. Capite *Firmiter* nuper citato.

Opp. 1. In quibusdam Symbolis non continetur haec fidei professio.

R. At continetur in plurimis aliis: deinde aliae sunt veritates definitae, quae tamen in Symbolis non recensentur.

Opp. 2. Tertullianus et Procopius dicunt, hoc non pertinere ad fidem. Ergo.

R. Dicunt non pertinere ad fidem, idest posse demonstrari etiam ex ratione, C.: non pertinere ad fidem, scilicet hoc dogma non esse revelatum et propositum, N. In exemplum sit ipse Tertullianus, qui acriter Hermogenem, exagitat et redarguit, qui putabat materiam esse aeternam.

Thes. IV. Doctrina de creatione rerum ex nihilo, quin rationi adversetur, ut Pantheistae cujuscumque coloris fabulantur, eidem potius consonam esse demonstramus.

D. Praetermittimus argumentum illud *indirectum*, quo usi sumus de Trinitate agentes (Thesi XLIV.), et directe disputantes. ita arguimus: Creatio triplici sub habitu considerari potest: 1. prae Deo producente; 2. prae termino, vel re producta; 3. prae ratione producendi ex nihilo: si autem nullo ex his capitibus, perspicue ostendi poterit impossibilitas creationis, ejusdem possibilitas extra aleam collocata erit. Ex parte Dei nulla apparet impossibilitas: cum sit omniscius et omnipotens, res, quae non sunt, et cogitare, et efficere potest: ex parte *termini*, idem patet, cum potentiae infinitae optime respondere potest terminus ab iis di-

versus, qui potentiae finitae respondent, idest terminus. colligimus ex statutis. Ergo.
ex nihilo effectus: ex parte *modi* idem dicendum, ut

Accedit argumentum congruentiae: quemadmodum in homine interna processione habentur intellectus et voluntas, ita et in Deo, in ipsa sua essentia personae producuntur. Rursus a simili: sicut homo aliquid ad extra facere potest, et formas plures et diversas rebus inducit, ita et Deus non solum formas, sed et substantias creare poterit: si homines formas creant, quis inficias iverit, Deum essentias producere posse (Felix loc. cit.)?

Rursus animadverti debet, aliud esse ostendere, aliquid non probari evidenter impossibile, et aliud est ostendere, aliquid esse evidenter possibile: si nos secundam propositionem evidenter evincere non possumus, neque Pantheistae alterum evidenter adstruere queunt: imo, nos possumus ostendere non esse impossibilem creationem, et oppositas difficultates diluimus.

Op. 1. Infinita est distantia inter res et nihil: ergo ex nihilo aliquid fieri non potest.

R. S. Thomas q. XLV. art. 2. = objectio oritur ex phantasia, non ex ratione: imaginamur nihil ut ens aliquod = inter ens et nihil, si proprie loquimur, nulla est distantia, quia nullus est terminus ex parte nihili.

Op. II. Concessa creatione ex nihilo, post creationem aliquid amplius, vel majus haberemus, quam ante creationem.

R. 1. Nihil additur Deo, quia infinito nihil addi potest. 2. Quod creaturae habent, in Deo *eminentiori modo* continetur; totum enim quod res creatae habent,

a Deo habent. 3. Sicut formarum produtio nihil addit animae humanae, ita rerum creatio nihil Deo addit.

Op. III. Est vetusta sapientium sententia: ex nihilo nihil fit.

R. Quod attinet ad homines, C.: prae Deo, N. S. Thomas (loco citato) sic argumentatur: Quicumque facit aliquid ex aliquo, illud, ex quo facit, praesupponitur actioni ejus, et non producitur per ipsam actionem: sicut artifex operatur ex rebus naturalibus, ut ex ligno et aere, quae per artis actionem non causantur, sed per actionem naturae causantur; sed et ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed praesupponit materiam. Si ergo Deus non ageret nisi ex aliquo praesupposito, sequeretur, quod illud praesuppositum non esset causatum ab ipso. Ostensum est autem (art. 1. etc 2.), quod nihil potest esse in entibus, quod non sit a Deo, qui est causa universalis totius esse. Unde necesse est dicere etc. =

Totum argumentum Thomae, collatis articulis omnibus, huc redit: Deus est ipsum esse, adeoque necessario unum: omnia autem quae existunt finita, non sunt ipsum esse, sunt varia etc. ergo non sunt ex se, sed participatione illius, qni est, quique unus est: ergo omnia, quae sunt finita etc. eatenus sunt, quatenus esse acceperunt ab ipso Deo, qui est causa universalis, primus agens, et omnia eminenter continens.

Creationem aliquo modo cognosci posse, testantur Patres, et Scripturae: docent enim, homines per ea, quae facta sunt, Deum omnium factorem cognoscere posse ita, ut si ipsum non cognoscant, inexcusabiles

sint: Scripturae igitur et Patres aperte supponunt, creationem cognosci posse.

Praeterea, Patres contra Gnosticos dimicantes, pluries declarant, creationem ex nihilo probari posse ex sola ratione, unde affirmabant etiam, veritatem hanc non pertinere ad fidem, quatenus scilicet ratione satis clare demonstratur. Conspirant scholae omnes catholicae, ne una quidem excepta. Denique creationis veritate in dubitationem revocata, necessario in Pantheismum labimur: Pantheïsmo autem, cujuscumque formae, nihil absurdius: nam omnia finita et infinita, necessaria et non necessaria, temporalia et aeterna, mutabilia et immutabilia, perperam permiscerentur.

Scolion. Auctor operis, cui titulus *Lidia*, et rursus in alio, cui titulus *Aristo*, contendit Thomam docuisse creationem esse simplicem *emanationem.*

Haec est atrox calunnia, Thomae, et universae scholae impacta. Verum quidem est, Thomam creationem dicere quandoque *emanationem*, sed explicat iterum sensum vocabuli: emanatio ista, juxta Thomam, est productio rei ad extra ex nihilo, nulla praejacente materia. Vide q. XLIV. art. 1. et 2., ubi exprofesso veritatem catholicam, tuetur. Calumnia auctoris repellitur a Thoma ubi docet. Deum esse simplicem et unum, ejusque substantiam toto coelo a rerum universalitate sejunctam: repellitur definitione creationis quam Thomas exhibet, ut supra retulimus: repellitur suffragio omnium catholicorum, qui nunquam vel suspicati sunt, Thomam Pantheisticis commentis adhaesisse.

Thomas quides docet, mundum coepisse esse articulum fidei, sola fide teneri, et *demonstrative* probari

non posse (q. XLVI. a 11.), et abstinendum esse a qualibet *demonstratione*, ne *materiam irridendi infidelibus prebeamus.*

Sed aliud est quaerere, utrum philosophice ostendi possit, mundum coepisse, et aliud affirmare, mundum esse substantialem Dei emanationem: hoc alterum S. Thomas non docet, imo negat, et demonstrat absurdum: quod attinet ad primum, tenet Thomas, mundo coepisse, et ex fide tantum tenendum esse inculcat.. Auctor igitur ille, de quo supra, S. Thomam calumniatur.

Fatemur tamen, nos sententiae S. Thomae (art. cit.) subscrivere non posse: quin etiam tancti doctoris reverentia liceat nobis observare, falsam esse ipsius sententiam, et virum sapientissimum sibi contradicere videri. Namque articulo antecedenti ostendit S. Doctor, *universitatem creaturarum non semper fuisse:* ostendit (q. XLIV. a 1. et 2.) *necessarium esse, omne ens esse creatum a Deo, materiam primam pariter a Deo creatam esse, adeoque omnia creata incipere debuisse* etc. Quo igitur pacto defendi poterit propositio illa S. Thomae = Mundum non semper fuisse sola fide tenetur et *demonstrative* probari non potest?.... Et mundum incepisse esse credibile, non autem demonstrabile, vel scibile (art. 11. q. XLVI.) =? Haec videntur invicem repugnare. Concedimus libenter, demonstrari *philosophice* non posse, mundum incipere debuisse, vel potuisse hoc, vel potius illo tempore; sed tamen evidenter ostendimus, mundum aliquo tempore incipere debuisse, et aeternum nullatenus esse posse: fides autem nos docet, et mundus incipere debuisse, et in hoc fides et ratio conspirant, et idipsum tradunt: quando autem mundus *de facto* coe-

perit, ratio suspicari quodammodo potest, sed demonstrare nequit, et hoc sola fide tenemus.

THES. IV. Ex dictis fides de productione rerum ex nihilo, quin haberi debeat, ut Fichte visum est, argumentum falsae religionis, ejusmodi contra est, qua nulla vera religio carere potest.

D. Fichte arbitratus est, se demonstrasse evidenter, creationem ex nihilo rationi repugnare: inde inferebat, religionem, quae dogma creationis profitetur, illico absurdam esse et rejiciendam. Haec supra effecimus: 1.° Creationem non esse evidenter impossibilem; 2.° hoc numquam demonstratum fuisse; imo 3.° demonstrari ejus convenientiam *a simili*; 4.° contrariam sententiam; scilicet Pantheisticam, evidenter absurdam esse: creatio igitur saltem ab absurdis demonstratur: itaque sententia Fichte, et aliorum sua ipsa mole ruit.

Tantum abest ut admittere cogamur sententiam Fichte, ut contraria potius statuatur oportet, nempe: illa falsa et ementita censeri debet Religio, quae non profitetur creationem *ex nihilo*. In aliqua religione desiderari potest professio fidei creationis duplici modo, *omissione*, et *positiva negatione*. Si omittitur, religio illa falsa est, quia *a*) homines suam ignorant originem; *b*) officia quibus in Deum obstringuntur necessario ignorant, et negligunt, quae ex origine efflorescunt; *c*) quia iure se credere possent aeternos etc., seipsos Deos existimare. Quae omnia, et alia pejora sponte sua sequerentur, si *positive* creationis doctrina exploderetur, ut perspicuum est.

Quapropter concludere possumus, quemadmodum indubitatum falsitatis characterem praeseferunt religiones

omnes, quae creationis dogma vel respuunt, vel inter adiaphora recensent, ita veritatis indicium in ea religione invenimus, quae creationem e nihilo diserte profitetur.

Scolion 1. Operae pretium arbitramur hic praecipuas Pantheismi formas numerare, et breviter exhibere. Historice satis exploratum est, Pantheismum, qui, teste Maret (Essai sur le Pantheisme etc. pref.), est haeresis nostri saeculi, omnibus saeculis viguisse, et non solum systemata omnia philosophica antiqua ethnicorum, sed et religiones omnes antiquas, excepta Mosaica et Patriarchali, faedasse: historice enim demonstrare possumus, extra revelationem neminem, saltem clare, creationem ex nihilo cognovisse (Vide Ciceronem, in Accad. et Tusculan. Meziéres Cod. Sacro etc.),

En formae praecipuae Pantheismi antiqui et recentioris:

1.° Forma Pantheismi *abstracti* et *acosmici*, in qua omnia sunt informis universitas, seu Deus est ipsa materia informis, quae formatur et evolvitur. Sic schola Eleatica, Parmenides, David a Dinante, Bruno, et alii.

2.° Forma Pantheismi *concreti*, sive *cosmici*, in qua omnia sunt ipsa universalitas propriis formis affecta, quaeque sensibus objicitur, et Deus est ipsa causa formalis mundi: sic schola Heracliti, Hyppocratis, Anaximenes etc.

3.° Forma Pantheismi psychici, qua Deus est ipsa mundi anima et mens, et materia instar ipsius corporis. Sic Stoici et Pitagorici etc.

4.° Forma Pantheismi *substantialis*, quae unam substantiam admittit, quae est materialis et spiritualis, vegetat, sentit, et cogitat. Sic Benedictus Spinosa, quem Schleiermacher vocat *sanctum repudiatum*, plenum Spiritu S., et Ahrens, (Cours de philosoph.), Hegel, Lermi-

nier, Cousin (Fragm. philosoph. tom. 11) ab atheismo et Pantheismo purgare connituntur.

5.° Formam Pantheismi *idealis*, in qua *totum* est subjectivum, *ego* creans *non ego*. Sic *Fichte*, qui ab omnibus abstrahit, cogitat solum *ego* absque formis, et nondum *ego*: sed *ego* impingit in aliquid, quod non est *ego*, et tunc conscientiam *ego* acquirimus, unde conclu dit, quod non *ego* universale ego *personale* creat.

6.° Forma Pantheismi *realis Schelling*, opposita Fichte, qua *absolutum* naturam universam, materiam et spiritum complectens, completur, et successive explicatur pro utraque ratione.

7.° Forma Pantheismi *logici* Georgii Hegel: ipse concipit ens absolutum, quod evolvitur, et diversos constituit gradus: evolvitur ad extra in multiplicitate rerum; en philosophia naturae: ex multiplicitate externa ad unitatem sui redit, et ut spiritus apparet, et en philosophia spiritus: demum acquirit sui conscientiam, fitque infinita personalitas: hinc Formula Hegel = Sine homine et mundo Deus completus non esset, neque adhuc esset Deus =. Hanc Pantheismi formam Hegel ad historiam applicat, eamque a *priori* constituit, unde eam definivit *Geometriam*.

8.° Forma denique Pantheismi *mystici*, quo animus per interiorem quemdam sensum, seipsum *immediate* Deo *consubstantialem* sentit, vel quo ens absolutum unicuique *immediate*, ineffabili quodam modo, se manifestat: sic Jacobi. Inter varias formas Pantheismi et Kantianum systema numerare debet; utpote ad atheismum et Pantheismum ipsum neccessario conducens. Etenim Emmanuel Kant affirmat, idaeas omnes, quae ex experientia

peti non possunt ut idea *absoluti*, *necessarii*, *immutabilis* etc. non esse nisi *subjectivas*, *formas spiritus faenomena* etc.: hinc argumenta omnia Dei existentiae negat, Deumque pratice admittit ut legislatorem: en systema, cui Ausonius Franchi (olim Christophorus Bonavino) innititur.

Pantheismi labe, praeter numeratos, infecti sunt Damiron, Leroux, Quinet, Michelet, Ferrari, et alii, praesertim in Gallia, et Germania.

Formae istae omnes in hoc conspirant, ut 1.° negent creationem ex nihilo, quam rident, 2.° vel saltem ut problematicam dicunt; 3.° creationi manifestationem, vel explicationem, vel jugem formationem absolutae substantiae sufficiant; 4.° et idcirco unam, eamque identicam substantiam concipiunt, omnimodam confusionem Dei et mundi, materiae et spiritus, caussae et effectus, actionis et passionis, virtutis et vitii, boni et mali etc. Si haec absurdissima non sunt, ipsi rationi valedicendum foret: religio igitur, quae vel caret, creationis doctrina, vel *positive* creationem inficiatur, illico de mendacio praejudicata manet.

Scolion 2. Discipuli Epicuri et Democriti existimabant, naturam duplici extensione praeditam esse: quarum una penetrari non potest, sed tangi; altera tangi non potest, sed penetrari: in priore dicun consistere corporalem naturam, in altera spatium, quod est infinita natura. Ab his non abludunt Gassendi, Loke et Klarke, qui statuunt, spatium *a*) distinctum a Deo, *b*) distinctum a corporibus, in quo corpora collocari imaginarunt, *c*) corpora praevertere, *d*) infinitum esse, indivisibile, immensum, increatum etc., etc.; quae omnia sufficit innuisse, ut rejecta et refutata dicantur.

Spatium non est nihil, vel foenomenum, aut phantasma, ut visum est Carthesio, Leibnitz, et Hobbes, sed relatio multiplex, quam mens inter corpora existentem percipit. Vide Caesarem Baldinotti in egregio opere = *De Metaphisica* =. Patet quodnam indicium ferendum de Loke, qui creationem dicebat conversionem spatii in materiam, de Newton, qui affirmabat, spatium esse ipsam Dei infinitatem, et quasi Dei *sensorium*; de Blanc, qui definiebat creationem rerum divinae substantiae limitationem. At finis sit tot philosophorum deliramentis.

CAPUT SECUNDUM

De caussa efficiente creationis.

Thes. V.ª Demonstramus. 1.° Caussam efficientem creationis esse Deum; 2.° solum Deum; 3.° Deum substantialiter, proindeque Deum Patrem, Filium, Spiritum S., qui unica et singulari actione omnia procreavit.

D. Duo in primis consideremus: 1.° Caussa efficiens illa est, quae rebus esse distinctum tribuit; 2.° caussa igitur efficiens extrinseca esse debet rei productae, utpote quae est alterius substantiae: ex quo consequitur etiam, *caussam efficientem* res creatas praevertere. Caussa autem *efficiens* rerum omnium est Deus. Sufficit quaedam Sacrorum Librorum oracula indicasse. Gen. 1. 1. Joan. 1. 3. Rom. XI. 36 = Ex ipso, per ipsum, et in ipso, sunt omnia = Isaiae: XLIV. 6, 7 etc. Cf. loc. supra cit. ubi creationem esse productionem ex nulla praeexistente materia effecimus. Neque est cur

Patrum, Symbolorum, et Conciliorum Æcumenicorum verba proferamus: item quoad probationem philosophicam videte quae scribit Thomas q. XLIV. art. 1. sup. cit.

De fide est, Deum rerum omnium universitatem ex nihilo condidisse. Quaeritur, utrum Deus solus creaverit: et duplex potest esse quaestio, idest utrum *de facto* Deus solus creaverit, et utrum creaturas, si voluisset, sibi in rebus condendis sociare potuerit.

Porro certum est de *facto*, solum Deum res omnes creasse; namque in Scripturis et in universa traditione numquam mentio fit de creatura aliqua, qua ad alias creaturas condendas Deus fuerit usus: quin imo solus Deus creator omnium exhibetur. *Positive* excluditur quoelibet creatura apud Isaiam XLV. 12 = Ego (Dominus) feci terram, et hominem supra eam creavi ego: manus meae tetenderunt coelos =. Alia loca parallela omittimus, quibus *diserte* vel *implicite* Deus omnium creator dicitur.

Praeterea Patres antiqui, ut Irenaeus et Tertullianus, gnosticos reprobabant, qui materiam per angelos creatam fuisse arbitrabantur. Nil igitur mirum, si Concilia et Symbola communiter Deum ita profiteantur creatorem, ut appareat, dignitatem creationis soli Deo tribuendam esse.

Succedit quaestio juris: potest ne Deus creaturam aliquam gratia ita elevare, ut ipsa alias creaturas e nihilo producat? Theologi omnes omnino negant, unde nulla esse potest dehac re dubitatio, quod exprofesso defendit Suarez (Methaph. Disp. 26): = Profecto non est quaestio de prima, vel primis creaturis, quas Deus condere poterat; quae necessario immediate a solo Deo creari de-

bebant; at quaestio est de aliis, quae postea produci possent. Quidam pauci theologi concesserunt *absolute*, Deum posse ita gratia creaturam aliquam elevare, ut per eam tamquam per *instrumentum* crearet. Sed et hoc negandum videtur cum S. Thoma q. XLV. a. 5. qui docet, creaturam nullo pacto, neque ad instar *instrumenti*, aliquid e nihilo efficere posse. (Conf hic Th.) = Apud omnes Catholicos ratum est, creationem ex aequo tribus divinis Personi tribuendam esse. Joannis V. 17 = Pater meus, inquit Christus, usque modo operatur, et ego operor. = Initio tu, Domine, terram fundasti, etc. = (Psal. 104) Emitte Spiritum tuum et creabuntur = Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt, et sine ipso factum est nihil = Spiritus Domini ferebatur super aquas etc. = Confer Luc. X. 21, collatis ad Haebreos IV. 24. 1. Cor. VIII. 6. Haebr. 11. 10. Coloss. 1. 16. etc. in quibus locis creatio modo simpliciter Deo asseritur, modo Patri, modo Filio, modo Spiritui Sancto: ergo competit Deo Trinitati.

Omissis Patribus, qui Filii et Spiritus S. divinitatem ex creatione, quae ipsis in Scripturis tribuitur, colligebant, satis sit oraculum Concilii Lateran. IV recolere = Patrem, et Filium, et Spiritum S. esse unum universorum principium, creatorem visibilium et invisibilium. =

Deinde est effatum theologorum: actiones Dei ad extra communes sunt tribus divinis personis, quia nullam oppositionis relationem exhibent; atqui creatio est actio ad extra; ergo.

Postremo ex Thoma probatur q. XLV 6 art. = *Creare* est proprie causare, sive producere esse rerum. Cum autem omne agens agat sibi simile, principium actionis

considerari potest ex actionis effectu: ignis enim est, qui generat ignem. Et ideo creare convenit Deo secundum suum esse, quod est ejus essentia, quae est communis tribus personis: unde creare non est proprium alicui personae, sed commune toti Trinitati. = Deinde rem fusius explicans, pergit = Divinae personae, secundum rationem suae processionis, habent causalitatem respectu creationis rerum . . . . Deus est causa rerum per suum intellectum et voluntatem, sicut artifex artificiatorum. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, et per amorem suae voluntatis ad aliquid relatum operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, et per suum amorem, qui est Spiritus S. Et secundum processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt essentialia attributa, quae sunt scientia et voluntas. =

Scolion. Secundum autem appropriationem, ut ajunt Theologi, creatio Patri *tribuitur*, quia creatio prae sanctificatione, aliisque operibus, rationem habet principii, et propterea hoc primum Dei opus ad extra Patri, qui est principium aliarum personarum, appropriatione aliqua tribuendum esse videtur.

Thes. XXXIII. Inter manifestos errores recensenda est opinio arminiana, qua affirmatur, actionem creantem Dei, divinae substantiae quidem inhaerere, sed mutabilem et transeuntem esse.

D. Sententia arminiana absurda est. Actio enim *creativa* est actio substantialis, utpote actio divini intellectus, divinaeque voluntatis, et propterea Deo inhaerens; ne-

que mutabilis, neque transiens dici potest, quin Deum ipsum mutabilem, et veluti transeuntem dicamus. Quae suo loco diximus de divina immutabilitate, hic revocare juverit.

Quamvis autem actio creatrix in Deo sit immutabilis et immanens, prae termino, *transiens* dici potest: haec enim actio considerari potest tum prae Deo, tum prae termino producto: quatenus refertur ad Deum, *virtute*, *immanens* et *immutabilis* est; prae termino, *transiens* est, quia effectus transiens est, et ex effectu caussa ipsa denominatur.

Scholion. Philosophi et Theologi disputant inter se, utrum creatio sit *continua* et *immanens*, necne.

Nihil impedit, quominus creatio dicatur *continua* et *immanens*, neque creationis negatio inde sequitur, ut quidam arbitrantur. August. ad rem nostram Conf. 1. XI. 11. = Sicut nosti, in principio coelum et terram (Deus) sine varietate notitiae tuae, ita fecisti in principio coelum et terram sine *distinctione* actionis = S. Thom. de Potentia q. 1. a. 1. scribit = Deum dici posse ab aeterno creantem, non vero terminum aeternum, quia terminus aliquo tempore incipere debuit. =

Insuper, Theologi omnes et philosophi concedunt, creaturas utpote ratione propria et necessaria existendi destitutas, jugiter divina virtute creante indigere, secus in nihilum redigerentur: haec autem conservatio rerum omnium cum creatione continua confundi posse videtur, unde quaestio est potius verbi, quam rei.

CAPUT TERTIUM
De caussa exemplari.

Thes. XXXIV. Cum Anselmo statuimus: quae facta sunt omnia, antequam fierent ex nihilo, in Deo aliquid erant: unde duplex rerum ratio emergit, altera *aeterna*, altera vero *temporalis*.

D. Res omnes considerare possumus in seipsis, et in caussa efficienti: in seipsis antequam crearentur, nihil prorsus erant: in Deo autem non erant prorsus nihil, ut docet Anselmus in Monol. c. 8. alias 9. cui titulus = Nihil non erant res quantum ad caussam facientis = quia erant in Deo, ut caussa efficiente et exêmplari: quod facile sic probamus: Effectus in caussa necessario continetur: mundus vero effectus est: ergo continetur in caussa, quae est Deus = S. Thomas praeclare rem explicat q. XLIV. a. 3 = Deus est prima caussa exemplaris omnium rerum, ad cujus evidentiam considerandum est, quod ad productionem alicujus rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar, ad quod inspicit, sive illud sit exemplar, quod ad extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem, quod ea, quae naturaliter fiunt, determinatas formas consequuntur. Haec autem formarum determinatio oportet, quod reducatur, sicut in primum principium, in divinam sapientiam, quae ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctionem consistit. Et ideo oportet

dicere, quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum.... idest formae exemplares in mente divina existentes. Quae quidem licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt *realiter* aliud a divina essentia, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode. Sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium. = Quae Thomae doctrina, philosophice demonstrata, continetur in sacris Litteris Ex. gr. Eccl. XXIII 29 = Domtino Deo, antequam crearentur, sunt agnita = Daniel. XIII. 42 = Deus aeterne . . . qui cognoscis omnia antequam fiant =. Sapient. VII.° 14. = Sapientia omnium artifex =. Quibus statutis, jure inferimus, duplicem esse rationem existendi rerum; alia divina, aeterna, intelligibilis, qua sunt in potentia, in intellectu, in voluntate Dei; altera temporalis, sensibilis, naturalis, qua extra Deum existunt. Illa existendi ratio causa est alterius; altera effectus, et veluti prioris reflexio. Unde Clemens Alexandrinut Stromat. V.° = Mundum duplicem agnoscit quoque barbara philosophia, alterum intelligentia, alterum sensu perceptum: ille archetypus, hic exemplaris imago =. Conspirant August. de Civit. Dei l. XI.° c. 29, Eusebius Caesariensis Praeparat. evangel., Petrus Damianus, etc.

Ex distinctione inter mundum sensibilem et intelligibilem patet, 1.° everti creaturarum aeternitatem; 2.° everti fatalismum, quia omnia sapientia aeternisque Dei legibus reguntur: creaturae irrationales legibus necessariis; rationales moralibus subjiciutur, etc.

Hic tamen sedulo cavendum est, ne inter mundum sensibilem et intelligibilem illum statuamus habitum,

quem inter materiam et illud, quod ex materia fit, statuimus: mundus enim intelligibilis non est instar materiae, ex qua opus deducatur, sed instar causae exemplaris, ad quam opus ex nihilo producendum exigi debet.

Non defuerunt quidam, qui asseruerunt, mundum sensibilem nihil aliud esse, quam circumscriptionem mundi intelligibilis: quae opinio est falsa, absurda, et pantheistica: esset enim aeternus mundus sensibilis non secus ac intelligibilis, quia idem realiter esset: insuper, mundus sensibilis non esset expressio intelligibilis, siquidem intelligibilem non reflecteret, quia esset ejusdem circumscriptio, seu ectypus mutatus etc.

Repudiari debet doctrina Platonis affirmantis, mundum intelligibilem esse verbum *internum;* sensibilem, verbum *externum*, consequens enim foret, mundum esse ipsius Dei evolutionem externam, quod pantheistae hodierni omnes, aliis atque aliis locutionibus, docent. Hinc, ut haeretica haec Wiklefi sententia damnata fuit: = Quaelibet creatura est Deus, et quodlibet est Deus =.

Cum res omnes, quae existunt in seipsis, ab aeterno in Deo praeexstiterint, ab eoque habeant id omne et id solum, quod habent, consequitur:

1.° Plenum Dei in creaturas omnes, et absolutum dominium;

2.° Absoluta et plena creaturarum omnium dependentia;

3.° Humilitatem nihil aliud esse, quam veritatem et suipsius cognitionem;

4.° Creaturas omnes referri ad Deum, ut ad ipsum Ens, a quo habent, ut sint;

5.° Ad Deum, ut summum Verum, a quo habent, ut veritatis participes sint;

6. Ad Deum, ut summum Bonum, a quo habent, ut bonae sint etc.

CAPUT QUARTUM

De causa finali creationis.

Thes. XXXV. Finis creationis, spectatae *efficienter*, est praeclarissimum signum et potius summa signorum, quibus Deus manifestatur, et homines ad ipsius cognitionem reducuntur.

Agentes de causa finali creationis, in primis plures distinguere oportet fines:

1.° *Finis*, cujus gratia aliquid fit, et *finis*, cui aliquid ordinatur: prior est bonum ipsum, quod appetitur; sic librum emo, ut discam; scientia est finis seu bonum appetitum: alter est bonum, quod alicui desideratur; sic Deus hominem creat, ut eidem bona conferat.

2.° Finis potest etiam esse *princeps*, et est ille, ob quem res fit; *secundarius, obnoxius*, qui intenditur, sed ob quem praecise res non fit, et ad *principem* dirigitur: *ultimus,* quo operans quiescit; *medius,* et intelligitur ut *medium.*

3.° Potest etiam esse finis *operis*, qui est proprius rei; *operantis*, qui est in ipso *operante* etc. (Vide Pallavicini. Del Bene p. I.° c. 30.)

Jam vero, hic quaeritur, quinam sit finis mundi, ipsa sua natura inspecta? Ut in primis creatoris gloriam nearret. Sacrae Scripturae hunc universalitatis rerum

finem ubique testantur. Psalm. 18. 1 = Coeli enarrant gloriam Dei etc. Psalm. 8 = Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! etc. Psalm. 103, 24: = Quam magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti etc. etc. Cf. Sapient. 13, 1 — Actor. 14, 16 = Rom. 1. 20, 21. Vide loca supra citata, ubi ex creationis spectaculo Dei existentiam ostendimus.

Patres accedunt: Nazianzenus appellat mundum *Dei praeconem;* Chrysostomus *librum antea datum;* Nyssenus *librum Dei;* Athanasius *organon Dei* etc.

Neque aliter esse poterat: opus enim ad opificis cognitionem ducit, ejusque ingenii manifestatio et gloria est: mundus autem est opus Dei: ergo ejus potentiam, sapientiam, bonitatem, perfectiones, gloriam patefacit etc. etc. Quoad ad usum corporalem, non est, cur dicamus, cum res sit evidens.

Sic rem totam perstringimus: finis operis est ille, qui ita operi inhaeret, ut ab eo separari nequeat: atqui, creatis rebus hoc inhaeret, ut, singulari ratione, Dei perfectiones manifestent, hominum usui inserviant, eosque ad Deum cognoscendum perducant etc. Ergo finis creationis, *efficienter* spectatae, est, ut etc.

Quisque intelligit, hunc finem ita creationi inhaerere, ut Deus ipsum non possit non velle.

Thes. XXXVI.ª Quamquam verum sit, Deum in rebus producendis propter finem operatum esse, negandum tamen est, bonum aliquod, distinctum a Deo, esse potuisse causam *finalem* creationis.

D. 1. p. Vidimus supra finem operi inhaerentem;

restat ut videamus finem operantis Dei in hac rerum omnium productione.

Praeter quam quod demonstrari possit, perspicuum est, Deum finem aliquem in creandis rebus habere debuisse. Hoc constat ex Scripturae effatis infra citandis; ex eo quod ille, qui sapientissime operatur, necessario finem aliquem sibi praestituere debeat; ex eo quod omnia facta dicantur in numero, pondere et mensura, et, si examinentur, omnia ordinatissima cognoscuntur. Et propterea Patres atheos, epicureos, et fatalistas ex ordine creationis redarguebant: ordo enim supponit ordinantem in aliquem finem etc. Cf. Thom. 9. 44 a 4 Contra Gentes. l. 3 c. 17, 18 et alibi.

D. 2.^{ae} p. Qui nam autem fuit finis, ob quem Deus omnia condidit? Dubio procul non potuit esse bonum aliquod a Deo distinctum, ipsique extrinsecum: nam nulla causa Dei voluntatem determinare potuit ad creandum, quia:

1.° Actum esset de libertate Dei, deque creationis contingentia.

2.° Quia nihil erat extra Deum, quo Deus ad agendum quodammodo cogeretur.

3.° Quia Deus est perfectissimus, et nulla re indigere potest.

4.° Quia docet August. 9. 28, = qui quaerit, quare voluerit Deus mundum creare, quaerit caussam voluntatis: causa efficiens est major illo, quod efficitur; nil autem divina voluntate majus; non ergo quaerenda est caussa, seu finis extra divinam voluntatem. = Idem rursus repetit cont. Manich. l. 1 c. 4, et confirmant theologi, ut Petrus Lombardus, et Thomas. q. XIX art. 5 et alibi, nominatim art. supra citato, ubi scribit:

= Primo agenti (qui est Deus), qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis (tunc enim a dignitate supremi finis excideret); sed intendit solum communicare suam perfectionem, quae est ejus bonitas: et unaquaeque creatura intendit consequi suam perfectionem, quae est similitudo perfectionis et bonitatis divinae. Sic ergo divina bonitas est finis rerum omnium =.

Voluntatis igitur divinae in opere creationis explendo nulla est caussa, nullusque finis Deo extrinsecus, etsi rationes quaedam admitti possint, et debeant.

Coroll. 1. Errant igitur, qui dicunt, Deum in bonitate illa, quae in idaea mundi includitur, creationis motivum invenisse, ut videtur docuisse Malebranche.

Coroll. 2. Errant et qui dicunt, praevia cognitione possibilitatis mundi, Deum habuisse motivum creandi; nam cum cognitio possibilitatis mundi necessaria sit in Deo, siquidem realiter confunditur cum ipsa Dei sapientia, et mundi creatio necessaria foret, qui est error Scoti Erigenae, qui, statuta identitate inter cognitionem et realem existentiam, in pantheismum prolapsus est.

Motivum igitur creationis est ipsa Dei voluntas, quae mundum creare voluit, non ob desiderium finis, quia ipsi nihil deest, sed propter amorem finis, ut ostendunt Vasquez, Bonavent, Thomas, etc. Deus bonitatem suam diligens, voluit, ut secundum similitudinem multiplicaretur, unde Vulgatus Dionysius scripsit: = quod amor non permisit, Deum esse sine germine vel productione aliqua. = Athenagoras legatione n. 13 = Deus noluit hominem creare ob utilitatem suam, non enim indiget; sed propter clementem ipsius bonitatem, et sapientiam

tn omnibus. = Et Nyssenus. = Natura divina, quae est bonitas summa, non potest aliquid velle, nisi propier bonitatem suam = etc.

Thes. XXXVII. Profiteri debemus, finem ultimum *cui* creatarum rerum, alium non esse ab externa divinae gloriae manifestatione.

Finis *cui* est ille, cui opus aliquod destinatur, quique respondet huic interrogationi: ad quid Deus creavit? Finis iste confunditur cum *fine operis*, et reducitur ad manifestationem divinorum attributorum, et gloriae divinae externae, seu accidentalis.

Huc pertinent testimonia biblica Proverb. XVI. 4 = Universa propter semetipsum operatus est Dominus. = Ps. 18. 1. = Coeli enarrant etc. = Is. 43. 7 = Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum. = Adde Ezechielem XXVIII. 22. Baruch III. 35, 36, ad Ephes. 1. 6. etc.

Ex quibus omnibus locis luculenter deducimus, omnia, quae Deus ad extra operatus est, sive in ordine naturali, sive supernaturali, eo pertinere, ut gloria Dei splendescat: haec autem gloria Dei nequit esse Deo essentialis, secus Deus non esset perfectissimus; restat igitur, ut sit gloria *externa* seu accidentalis. Utiliter legi poterit Pallavicini de Bono l. 3 c. 12, 13 etc.

Thes. XXXVIII. Cum fine *cui* alter cohaeret finis *obnoxius*, qui bono ipsarum creaturarum potissimum rationalium continetur.

D. Supra innuimus distinctionem inter finem *principem* et finem *obnoxium*. De fine *principe* in ipso ope-

rante supra, quod necesse erat, diximus: pauca de fine *obnoxio* vel *subjugi.*

Libri inspirati, Patrum opera, et ecclesiastica monumenta referta sunt locutionibus, quae Dei amorem in creaturas omnes; et potissimum in homines, testantur. Homines bonis omnibus cumulavit: 1.° Ordinis naturalis. 2.° Ordinis supernaturalis, gratiae, sanctificationis. 3.° Ordinis finalis gloriae aeternae bene operantibus repositis etc. —

Legimus: = Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret = Pro nobis egenus factus est etc. = Propter nimiam charitatem etc. = Propter nos homines, et propter nostram salutem etc. =

Ergo Deus in operibus omnibus ad extra simul cum gloriae suae accidentalis manifestatione, et *hominum* bonum intellexit et voluit. —

Optime autem duo isti fines inter se cohaerent, et unus alteri inservit: vult enim bonum creaturarum tanquam medium ad gloriam suam patefaciendam, unde quin excludantur, potius intimo nexu conjunguntur: ita et nos propter amorem Dei, et peccata detestamur, et aeternam felicitatem volumus (V. Pallavic. l. c. l. 3. 1).

CAPUT QUINTUM

De termino creationis.

Thes. XXXIX. Quemadmodum rerum universitati temporaria, non aeterna duratio tribui debet, ita invicte ostenditur, eandem rerum universitatem ab aeterno creari non potuisse.

D. 1.ae p. Et si supra nonnulla dixerimus de origine rerum temporaria, hic rursus nonnulla alia addenda existimamus.

In Psalmo 92. 1, 2., Baruch 4. 7, Is. 41. 4, 44. 6, 7 coll. Apocal. 1. 8., aliisque pene innumeris locis legimus, aeternitatem propriam esse solius Dei: ergo creatae omnes substantiae aeternae esse nequeunt.

Rursus in Ps. 89. 2., ad Ephes. 1. 4., Ecclesiastic. 24. 5 et seq. Proverb. 8. 22 Ps. 101. coll. haeb. 1. 10 Gen. 1. 1 perspicue traditur, mundum coepisse, fuisse quando Deus erat, et mundus nondum erat etc. Ergo duratio mundi non aeterna, sed temporaria censeri debet.

D. 2 p. Petavius l. 3. c. 6. de Deo colligit ex Patribus argumenta omnia, quibus efficitur mundum non potuisse ab eterno creari; en praecipua:

1.° Substantia quae a non esse ad esse transit, aeterna esse nequit: talis est universitas rerum. Ergo.

2.° Haeternitas est successionis absentia, et absentia possibilitatis successionis, et simplicissima semperque actu talis entis praesentia: porro ejusmodi non est substantia creata etc. Ergo.

3.° Substantia, quae finita est, necessario temporaria esse debet; atqui: ergo.

Coroll. 1. Falsa doctrina Eckardi (a. 1. 3.), qui defendebat, creaturas Deo cöexistere, et statim ac Deus fuit, mundum conditum esse; statim ac Pater genuit Filium, Deum creasse mundum etc. quae propositiones a Jo. XXII° damnatae fuerunt.

Coroll. 2. Ridicula quorundam sententia, qui distinguunt duplicem aeternitatem, una perfecta, altera im-

perfecta: illam Deo, istam creaturis tribuunt: haec sunt commenta ad decipiendum excogitata.

Thes. XL. Terminus creationis teneri debet Deo liberrimus, adeo ut neque ratio divinae bonitatis, neque interioris vitae divinae, ut ajunt, illum expostulent.

D. 1.ae p. Scripturae S. stabiliunt, creationem rerum ex divina voluntate, divinoque consilio esse repetendam. Ps. 113 = (Deus) omnia quaecumque voluit, fecit in coelo et in terra = Ps. 134. 6 = Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit in coelo et in terra, in mari et in abyssis — ad Ephes. 1. 11. = Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae etc. = V. Apocal. IV.° 11 coll. Jerem. 18. 6 etc.

Ex his locis pronum est concludere, res omnes, quae existunt, sive in coelis, sive in terris, repetendas esse ex divina voluntate, ex sola divina voluntate et consilio, quin voluntas et intellectus divinus aliqua, sive *interna*, sive *externa* necessitate adigeretur.

Suffragantur una voce Patres: speciminis gratia audiatur Irenaeus l. 11. c. 1 = Non ab aliquo motus, sed sua potentia et voluntate fecit omnia = Augustinus l. 11 c. 24 = In eo, quod dicitur: vidit Deus quod bonum est, significatur nulla necessitate, nulla indigentia, sed sola bonitate fecisse omnia =. Et Romanus Cathechismus: = Deus non ex materia aliqua mundum fabricatus est, sed ex nihilo creavit, idque nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte et voluntate instituit. =

Recolite, quae supra diximus, ubi de causa finali disseruimus. Ratione igitur tum *affirmanti*, tum *neganti*

tenent Patres, Deum in condendis creaturis omnibus liberrimum fuisse.

Opp. 1. Rationalistae = Abhorret a rerum naturis, ut dicamus, ab eo, qui est absoluta et necessaria substantia, aliquid dimanare relativum, liberum, contingens: atqui hoc consequeretur in hypothesi creationis: ergo.

R. ad majorem. Repugnaret, si diceremus, actum Dei, quatenus in Deo est, esse contingentem, relativum, etc. C.; prae termino, N.: Terminus enim, qui actui creanti respondet, necessario debet esse contingens, finitus, quippe qui non est ex se, sed habet a Deo, ut sit. Ad minorem, eadem distinctio etc.

Opp. 2. Bonum est sui diffusivum, ut philosophi et theologi docent; ergo Deus, qui est infinita bonitas, infinite et necessario est sui diffusivus: adeoque creatio, quae est participatio Dei ad extra, necessaria est.

R. Bonum infinitum est *infinite* sui diffusivum ad intra, in personarum Trinitate, C.; ad extra potest se plus minusve participare, imo convenit, ut se participet, C.: tenetur vel cogitur, N. Quamobrem doctrina catholica Trinitatis, qua fit, ut in ipsa Dei essentia habeatur *adaequata* et *plenissima* progressio personarum, *necessitatem* externae progressionis excludit, et pantheismum profligat. Sic Thomas, Anselmus, et praesertim Bonaventura in itiner. mentis in Deum.

Opp. 3. Vulgatus Dionysius docet, sicut sol non electione aut voluntate lucem profundit, ita Deus non electione aut voluntate, sed necessitate radios bonitatis in res omnes effundit. Ergo.

R. 1.° Quaedam similitudines non sunt ad apicem

exigendae tum in Patribus, tum in Scripturis; sic docet Chrysostomus; et talis est Dionysiana similitudo.

2.° Supposita creatione, Deus debet aliqua mensura bonitatem suam creaturis participare, C.; *absolute*, N. Comparatio Dionysii eo tendit, ut liberalitas Dei demonstretur, quae omnibus etiam sine meritis thesauros suae bonitatis impertitur, et omnibus largiens numquam imminuitur etc. etc.

D. 2.ae p. Quidam pantheistae Germaniae ex alio capite putant, se probare posse creationis necessitatem. Duplex, ajunt ipsi, est vita Dei, una *absoluta*, altera *relativa*: prima ad *naturam*, altera ad *personam* pertinet: vita autem, pergunt illi, intelligentia et amore absolvitur: porro utraque vita creationem necessario expostulant: postulat vita Dei *absoluta*, ne dicamus, Deum habere terminum *intellectus* et *amoris* dumtaxat *idealis*, et non *realis*: postulat vita *personalis* et *relativa*, quia Deus non potest dicere *ego*, et persona constitui, nisi opponeretur *το non ego, cujus positione* se cognoscit, et veluti sui conscientiam acquirit.

Haec omnia *nova, inaudita, prophana* sunt, et absurdis scatent. Deus est ens *absolutum* et idcirco *independens*, et ejus intelligentia et amor plane independentes sunt, cum in ipsa divina essentia *adaequatum* et *perfectissimum objectum* habeant, eoque absolvantur. Creatio autem nullo modo objectum intelligentiae et amoris divini *adaequatum* constituere posset, unde hypothesis excogitata absurda probatur.

Ridiculum autem est dicere, personas divinas constitui *positione* mundi, quo *το ego* a *το* non *ego* secernitur. Si Deus sui conscientiam non habet, nisi quate-

nus per cognitionem rerum universitatis creatae acquirit, consequeretur, Deum creasse, quin sciret quid faceret, ipsumque sui cognitionem a rebus conditis mutuari. Personae divinae constituuntur relatione originis, et mutua oppositione, minime vero hac conscientia, qua *ego* a *non ego* distinguitur.

Ex his liquet: 1.° quo pertineat doctrina auctoris *Fidiae* et *Aristonis;* nec non *Aurorae borealis* et *meridionalis*,, qui haec omnia tradit.

Liquet 2.° Falli Hase, qui finem creationis non in Deo, sed in ipso mundo collocat.

Liquet 3.° Falli eos omnes, qui putant, Deum robore et potentia destitui, nisi ipse orbem creasset.

Liquet 4.° Falli Cousin, qui affirmat, mundum necessarium esse.

Liquet 5.° Falli eos, qui arbitrantur. Deum ad creationem sin minus *phisice*, saltem *ethice* determinari.

Falluntur uno verbo pantheistae omnes, qui damnantur cum Wiklefo, Abelardo et aliis in Decreto Eugenii IV.[1] ad Jacobitas, et novissime in Syllabo prop. I.[a]

Thes. XLI. Etsi terminus creationis censeri nequeat *absolute* optimus, nihilominus *aliquo sensu* optimus censeri potest et debet.

D. 1.ae p. Tum fides, tum ipsa naturalis ratio ostendunt, mundum *meliorem* esse posse: ergo non est *absolute* optimus.

Abelardus damnatus fuit praecise eo quod inter alios errores, et hunc tuebatur de *absoluto* optimismo. — Scriptura numquam dicit, mundum esse *absolute* optimum, imo docet, ita esse, quia Deus ita voluit, et aliter atque aliter potuisse existere, si Deus voluisset.

Praeterea: nemo ita desipiet, ut asserat divinam potentiam, sapientiam et bonitatem fuisse penitus in mundi creatione exhauritas. Ergo.

Vel ipsi homines creaturas meliores concipere possunt; quanto magis Deus. Denique observandum, creaturas ita esse conditas, ut una altera praestantior vel inferior sit: ergo non sunt *absolute* optimae. —

D. 2. p. Aliquo tamen sensu mundus optimus dici potest, scilicet prae multiplici fine et ratione:

1.° prae causa *efficiente*, qui est Deus Omnipotens, Optimus, Maximus, etc.;

2.° prae *fine*, quem Deus sibi proposuit assequendum, hoc est prae gloria externa;

3.° prae ordinibus et generibus substantiarum, quae exsistunt: sunt enim substantiae, quae *simpliciter* sunt, quae vegetant, quae vegetant et sentiunt, quae sentiunt et intelligunt, et mutuo amico foedere inter se devinciuntur;

4.° prae ordine rerum, et prae ratione medii, quae mundi propria est;

5.° Denique prae aeterno archetypo, cujus universitas rerum est ectypon et manifestatio fidelissima.

Cum autem hac nostra aetate philosophia ad pantheismum innumeris formis inclinet, utile erit quaedam opera perlegere, in quibus pantheismus detegitur. Ejusmodi sunt inter alia, opera Maret, Com. Della Motta. Gerdil, plurimis in locis, aliorumque, quae nostra aetate prodierunt.

DE ANGELOLOGIA

PROLEPSIS

Supra disputavimus de creatione rerum omnium in genere, quin singulas substantias earumque dotes vel praerogativas investigaremus: nunc rerum ordo exposcit, ut de singulis creaturis, quae ad rem nostram magis necessaria sunt, sermonem instituamus. Rerum omnium universitas *tripliciter*, saltem qua nobis innotescat, dividitur: alia est enim natura *simpliciter incorporea* et *spiritualis*, et alia *corporea* et *materialis*: prior est natura angelica, altera mundana et terrestris, sensibus obnoxia.

Inter naturam angelicam *simpliciter spiritalem*, et naturam *simpliciter corpoream* tertia veluti *media* est, quae mixta dici potest, et in qua natura spiritalis et corporea in unum cöeunt, et est humana natura.

De natura simpliciter corporea ejusque proprietatibus nostrum non est disserere, ut quisquis novit; sed de aliis duabus naturis theologo disputandum est.

Et primo de *Angelis* plurimis de causis.

1.° Quia angeli *cronologice* humanae naturae praeexstiterunt.

2.° Quia natura angelica longe humana praestantior est.

3.° Quia angeli Deo propinquiores sunt, et post Deum primum tenent locum.

4.° Quia casus humanae familiae cum angelorum fortuna intimo nexu conjunguntur, imo vero res humanas ab angelicis pendere videbimus.

Inter Deum et homines spiritus creati interjecti sunt, ut scribit Nazianzenus, quos ipse *intelligibiles* et *intelligentias* vocat, et communiori vocabulo *angelos* nos appellamus.

Constat, etiam ethnicos admisisse spirituum existentiam, quos appellabant *daemones*, *spiritus*, *genios*, ut apparet ex Esiodo, Orpheo, qui dicit: = Throno Dei ignito angelos adstare laboriosos. = Item Plato, Hierocles, Porphirius, omnesque religiones.

Animadvertendum est, nomen angeli non *naturae*, sed *officii* esse nomen. (Gregorius M., Origenes, contra Celsum l. V.° 4 et Severus Gabalitanus, etc.)

De angelis disserentes, more nostro, non omnia, sed quae utiliora et necessaria sunt dicemus: innumeras quaestiones, quas theologi proponunt, seponemus: si quis autem has quaestiones et theologorum elucubrationes, quae curiositatem potius quam scientiam et pietatem fovent, videre cupit, adeat summistas. Confer Suarez, qui volumen integrum exaravit, vel Vasquez, vel alios ex doctioribus.

En tractationis nostrae partitionem: cap. I.° Generatim *de existentia* angelorum. II.° De angelorum *natura* atque *proprietatibus*. III.° De *ordine*, quo disponuntur, seu de *hierarchiis*. IV.° De eorum *habitu* cum hominibus, seu de eorum *officiis*.

CAPUT PRIMUM

De angelorum existentia, deque eorum origine.

Thes. I.ª Quod rationalistae affirmant, persuasionem de existentia angelorum connumerandam esse opinionibus incultioris aetatis, judaicae et christianae traditioni refragatur, nulloque argumento defendi potest.

D. Becker, Georgius Rosenmüller, Scholz in N. Testam. in S. Matth., Kuinöel, Commentar. in L. N. Test., Veschgscheider, Eichorn, Sthal et alii rationalistae biblici affirmant, idaeam et persuasionem angelorum aetati incultae et pene barbarae accensendam esse, qua homines rudes phaenomena extraordinaria, divinaeque potentiae manifestationes virtutibus spirituum tribuebant.

Breviter haec rationalistarum deliramenta diluimus:

1.° Haec persuasio viguit omnibus aetatibus etiam quavis cultura florentibus, eamque viri doctissimi hebraei et christiani firmam habuerunt.

2.° Innumerae sunt angelophaniae patriarchis, ut Nöe, Abraham, Jacob, Moysi; et prophetis, ut Eliae, Danieli, Tobiae, etc. factae.

3.° Idem dicatur de angelophaniis N. Testamenti. Angeli apparuerunt Virgini, Joseph, pastoribus, Petro, Joanni, Philippo etc.: plenae sunt paginae utriusque Foederis, quae innumera narrant de angelis, de Gabriele, de Michäele, de Raphäele: angeli dicuntur *Deo adstare, Deum laudare, eique obedire, in ministerium mitti:* comparantur Filio Dei etc. etc. =

Biblicis rationalistis res expeditior foret, ipsam Scripturam negare et respuere, quam eandem admittentes, tanta audacia pervertere. Nonne facilius et pronius est affirmare, rationalistas hujusmodi phantasiae haedificationibus decipi, quam tot tantosque homines ab Adam usque ad Joannem, et a Joanne usque ad nos falli?

Accedunt traditiones judaicae, quas referunt Philo, Josephus, Caldaic. Paraphrast., Talmudici etc.

Addantur quae novimus Act. 23. 8. de Sadduceis, qui angelos inficiabantur, et in haereticorum censu ab haebreis habebantur. Traditiones aliorum populorum omittimus: si quid igitur indubitatum esse potest, hoc profecto est, angelos existere, et commenta rationalismi tum naturae humanae, tum historiae, tum fidei naturali refragari.

S. Thomas probat, conveniens fuisse, ut puri spiritus, seu angeli crearentur. Haec enim p. 1. q. 50. Art. 1. scribit: = Necesse est ponere aliquas creaturas incorporeas. Id enim, quod praecipue in rebus creatis Deus intendit, est bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum. Perfecta autem assimilatio effectus ad causam attenditur, quando effectus imitatur causam secundum illud, per quod causa producit effectum, sicut calidum facit calidum. Deus autem producit per intellectum et voluntatem.... Unde ad perfectionem universi requiritur, quod sint aliquae creaturae intellectuales. Intelligi autem non potest, esse actus corporis, nec alicujus virtutis corporeae. Unde necesse est ponere, ad hoc quod universum sit perfectum, quod sit aliqua incorporea creatura. =

Quae Thomae argumentatio, ex analogia et conve-

nientia petita, sic syllogistica forma exponi potest. Quaelibet caussa effectus sibi similes, quoad ejus fieri potest, exerere vult et quodammodo debet: Deus autem est substantia simplicissima intellectu et voluntate ditata: ergo effectus seu creaturas sibi similes, idest simplices et spirituales producere potest et quodammodo debet, (supposita voluntate creandi).

Neque altera observatio praetermittenda, quae est hujusmodi: si creationis ordinem et rationem consideramus, illico apparebit, haberi miram quamdam gradationem: habemus materiam, quam *inorganicam* dicimus, qualibet vita destitutam; deinde materiam animatam; deinde materiam non solum animatam, sed cum intelligentia et voluntate copulatam: neque ab uno ad alterum regnum transitus veluti perruptus est, sed per gradus, qui vix distinguuntur, ab uno ad alterum ascendimus: jam vero si inter Deum et hominem, qui est synthesis materiae et spiritus, substantiae simpliciter spirituales non intersererentur, harmonicum creationis systema veluti mancum et imperfectum videretur. = Ergo admitti debet existentia creaturarum spiritualium cujusvis corporeae admixtionis expertium.

Thes. II. Origo angelorum repeti nequit ex emanatione divinae substantiae, ut gnostici arbitrabantur, sed creationi ex nihilo tribuenda est.

D. Cerintus, Carpocrates, Saturninus, Manichaei, et alii, ut testatur Augustinus c. Faustum l. XV. 5, existimabant, angelos esse divinae substantiae emanationes.

Haec doctrina gnosticorum est haeretica et absurda, quod ita paucis conficimus: concessa hac sententia, a) non amplius Deus solus aeternus esset, necessarius,

etc. *b*) divina substantia scinderetur, *c*) absurda omnia pantheismi inde profluerent, *d*) lapsus angelorum concipi non posset, *e*) Scripturae et Patres non solum hanc doctrinam non admittunt, sed ex professo profligant.

Profligant Scripturae, quando angelos obedientes, inferioresque Deo dicunt; quando omnia creata esse docent; quando rebelles angelos coelo ejectos narrant etc.

Profligant Patres, inter quos commemorandi sunt Irenaeus l. 11. c. 2, Athenag. in Legat. n. 24, Orig. Periar. 1. 7 etc.

Irenaeus l. c. refutat Basilidem, et tuetur, Deum non condidisse mundum per angelos, sed omnia Verbo suo fecisse, ipsis angelis non exceptis, *donans terrigenis terrigenam, angelis angelicam substantiam* etc. = Origenes consentit, quando inter dogmaticas veritates ait recensendam esse angelorum productionem e nihilo, cum scriptum sit, sic ipse, omnia per Verbum facta esse, et sine ipso nihil factum esse. = Unde Bracar. Conc. can. 5. sancivit (anno 503): = Si quis animas humanas vel angelos ex Dei credit substantia exstitisse.... anathema sit. = Confirmatur professione fidei Michaelis Paleologi in Lugdun. Conc., ex Decr. Eugenii IV. ad Armenos, ex simbolis, et demum ex Later. c. *firmiter* = Credendum est, quod Deus de nihilo condidit utramque naturam, angelicam videlicet et mundanam, omnipotenti sua virtute etc. =

Thes. III. Sacris monumentis expensis, constituendum esse videtur, angelos neque post absolutum mundi opificium, neque ante primam materiae creationem exstitisse.

D. Veteres quidam arbitrantur, Moysen angelorum meminisse in initio Geneseos, eosque creatos dixisse illis verbis: = creavit coelum. = Alii putant angelos creatos fuisse ante rerum omnium universitatem. Haec videtur sententia Basilii in Haexem. Hom. I. Nazianzeni, Chrisostomi, Damasceni, Hilarii, Ambrosii, qui inniti videntur Job 28. 7. 40, 14. Quidam alii existimant, angelos creatos fuisse prima die, quando Deus dixit: = fiat lux; = quam opinionem Lombardus et Augustinus reprehendere non audent: alii dicunt angelos creatos post hominis formationem, cujus sententiae meminit Augustinus de Civit. Dei l. XI. c. 10, et rejiciendam esse docet. — Denique non defuerunt et alii, qui putarunt, Moysen angelorum mentionem studio praetermisisse hisce de causis:

1.° Quia admodum difficile est nobis, quae sunt tantum intelligibilia, mente assequi.

2.° Quia Moyses sibi proposuit nos ea tantum, quae aspectabilia sunt, edocere.

3.° Quia nolebat Hebraeis rudibus periculum angelolatriae ingerere.

Hae sunt quorundam Patrum opiniones, nominatim Basilii et Cyrill. Alex.

Ex his omnibus non aegre intelligimus, nihil omnino certi definiri posse, cum tanta sit majorum nostrorum opinionum diversitas et discrepantia. Nihilominus revelatae doctrinae magis consonum arbitramur affirmare:

1.° angelos conditos non fuisse ante primae materiae creationem;

2.° neque post rerum omnium expolitionem, et propterea;

3.° una cum materia prima originem habuisse.

Vix quaestio esse potest de angelorum procreatione post absolutam rerum omnium creationem et expolitionem. Namque:

1.° Vix unus vel alter ex Patribus hoc asseruit.

2.° Theologi omnes ab hac sententia discesserunt.

3.° Ex rei congruentia, quam indicat Thomas 1. q. 61. a. 3. quamque inferius referemus. —

Sed et aliam sententiam refellimus, eorum scilicet qui volunt, angelos ante creatum mundum effectos. Nos vero hanc sententiam *indirecte* refellimus, nostram statuentes, qua asserimus, angelos productos fuisse una cum materia prima. Re sane vera:

1.° Nostra sententia nunc penes theologos communis dici potest, eamque ut probabiliorem defendit Thomas loco cit.

2.° Nostra sententia generatim probata fuit Patribus latinis, ut videre est apud Alcuinum. Confer fid. p. 3. c. 39.

3.° Evincimus ex parallelismo inter vers. I. Geneseos et Proverb. VIII. 24 seq. = In principio creavit coelum et terram. = Ab aeterno ordinata sum (ego Sapientia) antequam terra fieret; nondum erant abyssi etc. = Antequam igitur terra fieret, ante colles etc. nihil erat, Deo ejusque sapientia excepta; ergo antequam crearentur coelum et terra (de quibus in Gen.) nulla erat creatura, neque angeli ipsi. Ergo ante coelum et terram, vel materiam primam, angeli creati dici nequeunt. Praeterea;

4.° Eccli. 18 docet = Deum creasse omnia simul = Ergo et angeli simul conditi sunt.

5.° S. Thomas loco cit. probat ex initio Gen. ita: = Non autem hoc esset verum (idest in principio creavit etc.), si aliquid creasset ante ea = non enim in principio creasset, sed postea.

6.° Argumentum gravissimum ex capite *Firmiter* Later. Conc. = Deus omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, quia sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, angelicam videlicet et mundanam. = Nemo non videt illis verbis = simul ab initio temporis = allusionem fieri ad duo biblica testimonia Gen. et Eccli. supra allata, illisque lucem clarissimam affundi, nostramque propositionem non modo roborari, sed *quasi* definiri.

Namque declaratione lateranensi angeli dicuntur creati non ante, non post rerum productionem, sed *simul ab initio temporis,* quando coelum et terra effecta sunt, et cum ipso coelo, ipsaque terra conditi. Quare et theologi omnes post Lateranense huic sententiae subscripserunt, quamvis illi nobis minime probentur, qui ultra progressi rem definitam prorsus volunt. = Concilium enim *directe* sibi proposuit damnare Origenistarum doctrinam, qui defendebant, creaturas spiritales ab initio per se fuisse conditas, postea vero corporeas, *non ex primaria destinatione,* sed ut *ex accidenti,* et praecise, juxta placita platonicorum, ut in corporeis creaturis tanquam carceribus conclusi spiritus anteactae vitae poenas luerent.

Unde et s. Thomas a. 3 q. c. docet: = Contrarium errorem non esse reputandum, praecipue propter sententiam Gregorii Nazianzeni, cujus tanta est auctoritas

in doctrina christiana, ut nullus numquam ejus dictis calumniam inferre praesumpserit, sic nec Athanasii documentis, ut Hieronymus dicit =.

Scholion 1. Quid igitur dicendum de tot tantisque Doctoribus antiquis, qui angelos ante rerum universitatem conditos autumabant? Facile componi possunt hoc pacto. Dicunt, angelos exstitisse ante mundum, hoc est ante mundum expolitum, ante creationem secundam, C.: ante creationem primam, N. Exstiterunt ante saecula et tempora, quae tertia die, vel epocha determinari coeperunt, C.: ante tempora, hoc est creationem primam, N.

Sic solvi possunt duo testimonia Job supra citata, et propterea quin dissidium aliquod oriatur inter Patres, eorum perfectissima consensio splendescit.

Scholion 2. Quaerunt theologi cum Thoma (q. 61 a. d), quo loco angeli creati fuerint, et respondent: in coelo empyreo, = quia conveniens erat, quod angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturae corporeae praesidentes. — Sed haec dicta sunt juxta Aristotelicas et Tolemaicas doctrinas, quae admittebant coelum empyraeum, de quo nihil scimus quodque fortassis neque existit.

CAPUT SECUNDUM

De natura, deque proprietatibus angelorum.

Thes. IV. A veritate dissidet theologorum protestantium opinio, qua defendunt, Patribus visum esse, angelos nonnisi corporeas esse creaturas.

D. Goudwortus, Mosemius, Rosner aliique protestantes homines asserunt, Patres existimasse angelos omnino corporeos. Haec est putida calumnia. Namque:

a) Patres uno ore angelos hominibus longe nobiliores praedicant, ut Augustinus, Chrysostomus, Damascenus, Hilarius etc.

b) Angelos vocant naturas intelligibiles et intelligentes, ut pluries Nazianzenus, Basilius etc.

c) Vocant Angelos simplices, incorporeos, limpidas mentes, lucidas naturas, etc.

d) Vocant Angelos naturas libertate et voluntate ditatas.

e) Dicunt eos Deum laudare, benedicere, eique adstare, famulari, etc.

f) Mittuntur in ministerium propter eos, qui haereditatem capiut salutis.

g) Norunt quorundam fidelitatem, et quorundam miserandum lapsum etc. — Haec omnia et alia, quae statim subjiciemus, abunde stabiliunt, angelos non esse creaturas *simpliciter* corporeas.

Thes. V. Non modo angeli intellectu, voluntate et potentia hominibus praestantiores sunt, verum puri spiritus, et cujusvis omnino corporis expertes credi debent.

D. I. p. Scripturae passim intelligentiam, eamque praestantissimam angelis tribuunt. II. Reg. XX. 19. Davidis sapientia comparatur sapientiae angeli = Sicut angelus Dei est dominus meus David. = Marc. XIII. 32 = De die isto (judicii), vel hora, nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater. = Heic perspicue adsignificatur summa angelorum scientia.

Mathaeus XVIII. 10. = Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei = II. Pet. 2. 11. = Angeli fortitudine et virtute cum sint majores etc. =

Caetera testimonia Scripturae omittimus, cum sit res clarissima et ex dicendis confirmanda.

Certum est igitur, angelos scientia, voluntate et potentia hominibus longe praestare; secus neque investigare possemus, quo pacto ut custodes et defensores hominum constitui possent.

S. Thomas, et theologi, qui ipsum sequuntur, plura hic quaerunt, ex gr. I. utrum intelligere angeli sit ejus substantia, et omnes negant; solus enim Deus est actus purus, unde actio angeli esse nequit ejus substantia (Thom. LIV. a. 1.).

2.° Quaerunt, utrum in angelis sit intellectus *agens* et *possibilis*, ut in nobis, et rursus negant, quia = neque sunt quandoque intelligentes in potentià tantum respectu eorum, quae naturaliter intelligunt: neque intelligibilia eorum sunt intelligibilia in potentia, sed in actu. = (a IV.) — Unde etiam et consequens fit, ut in angelis sit sola intellectiva cognitio (a. V.).

3.° Quaerunt, utrum angelus cognoscat omnia per suam substantiam; et negandum est, siquidem haec ratio cognoscendi nonnisi Deo competere possit; itaque cognoscunt angeli *per rationes rerum*, et *species*, quibus eorum intellectus perficitur (q. 55 a. 1), quae tamen species non sunt a rebus acceptae, sed ipsi angelis connaturales, ut scribit Thomas (a. 2.).

4.° Quaerunt, utrum angeli cognoscant Deum *per sua naturalia*, et affirmant: angeli autem *per sua naturalia* cognoscunt Deum, *non per praesentiam essentiae in cognoscente*, sicut si lux videatur in oculo; *non per similitudinem Dei in creaturis*, sicut cognoscunt homines in via, *sed per similitudinem Dei immediate ab ipso Deo menti angelicae impressam*, et ita cognitio Dei in angelis media est inter cognitionem propriam ipsius Dei, et cognitionem hominis. (q. 56 a. b).

5.° Quaerunt, utrum angeli cognoscant *singularia*; et contra quosdam paucissimos veteres scholasticos defendunt: Deus enim angelicis mentibus *communicat quasdam repraesentationes multiplicatae illius unicae et simplicis essentiae* (scilicet divinae), (q. 57 a. 2.)

6.° Item angeli cognoscunt multa *simul*, non *discurrendo, non componendo et dividendo* (q. 58. a. 3, 4).

7.° Angelis amor naturalis sicut et naturalis intellectus et voluntas inest (q. 60. a. 1.), quo naturali amore seipsos, alios, et Deum diligunt (a. 3, 4, 5.) etc.

D. 2. p. Quamquam *formaliter* definitum non sit, angelos esse simplices spiritus, et quavis corporis sive terreni sive coelestis admixtione solutos, tamen est indubitatum caput doctrinae, ut ex sequentibus argumentis liquido apparebit: = 1. Scripturae nunquam conceptis verbis docent, angelos corporeos esse: indicium igitur est, eos corpore solutos esse. 2. Scripturae angelos appellant *simpliciter* spiritus. = Qui facit angelos suos spiritus = *ο ποιων τουσ αγγελουσ αυτου πνευματα* = (Hebr. I. 1. 7.). Act. VIII. 39. = Spiritus Domini rapuit Philippum, = ubi, auctore Didymo, spiritus significat angelum. Confer apoc. 1. 4. 5. 6. Luc. X. 20

Ephes. IV. 12. etc. — En argumentum, quod inde fluit: angeli dicuntur iterum atque iterum spiritus *absolute*, *per excellentiam* non secus ac Deus: ergo ratio postulat, ut credamus, eos spiritus esse. 3. Deinde robur maximum accedit ex definitione Later. supra cit. Cap. *Firmiter*, praesertim si consideretur oppositio, quam Concilium affirmat inter utramque substantiam, *spiritalem* et *corporalem*, *angelicam* videlicet et *mundanam*, ubi antithesis satis evidenter postulat, ut angelos dicamus simplices spiritus: eo vel magis, cum subjungat Concilium = Humanam (condidit Deus), quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. = Triplex hic indicatur et praesumitur natura, prior spiritalis, secunda corporea tantum, tertia ex utraque constans; 1. angelica est, 2. materia mundana, 3. humana inter utramque media. 4. Longum esset Patres referre, quos suo more summa diligentia collegit Petavius l. 1. c. 2. 3. de angelis. Satis sit nonnullas clariores locutiones proferre. Basilius apud Petavium, Nyssenus, Euseb. Caesar. et Nazianz. angelicam naturam dicunt — Naturam incorpoream, rationalem creaturam, incorpoream, intelligentem, et incorpoream substantiam, incorporeas intelligentias, absque materia, omnino puros spiritus etc. —

Neque alia est doctrina Sophronii, Maximi M., Ignatii M., Lactant., Athanasii, Fulgentii, Augustini, Severi Gabalitani, Gregorii Magni, Hilarii etc. 5. Accedit omnium theologorum consensio, quorum princeps ex professo dicit et ostendit, angelos incorporeos esse (q. L. a. 1. 2.).

Haec doctrina etsi sensu stricto de fide dici nequeat, certe fidei proxima credi debet.

Scholion 1. Irenaeus l. II. 18. n. 27 et alibi, Clemens alex. Strom. IV. 3. Methodius, Origenes, Cyrillus hieros. cathech. XVI. 15, Tertullianus, Augustinus de Trinitate l. II. 7, l. III. 1. Cassianus, Honorius Claudianus, Mamertius, Bernardus, Ambrosius, Cyrillus alex, Hilarius, Joannes Thessal. in II. Concilio Nicaeno act. V. et alii angelis corpus subtile, aereum, coeleste assignant etc. — Facilis responsio:

Patres ad tres classes reducere possumus: 1. Patres, qui dicunt angelos spiritus simplicissimos 2. qui dicunt corpore praeditos 3. qui ancipites sunt. Patres ultimae classis perpauci sunt. Quod attinet ad Patres secundae classis, observamus:

1.° Non conveniunt inter se: non semel enim et ipsi angelos incorporeos dicunt.

2.° Eorum sententia perpetuitate destituitur; siquidem post Lateranense desiit.

3.° Quidam ex illis decepti sunt verbis Geneseos VI. 2. juxta Versionem LXX.

4.° Dicuntur angeli quandoque corpore praediti, quia apud antiquos vox *corpus* significabat *substantiam* per oppositionem ad *nihil*: sic Tertullianus Deum ipsum vocat corporeum.

5.° Patres dicunt angelos corporeos, quia corporeis figuris apparuerunt.

6.° Quia corpora sibi quandoque adsciverunt.

7.° Dicuntur corporei prae Deo, qui est infinite simplex.

8.° Ad significandam naturam circumscriptam.

9.° Quia non aeterni, sed in tempore conditi.

10.° Ad significandam naturam veram, subsistentem, non phantasticam.

11.° Ad compositionem methaphisicam indicandam, etc.

Quare si haec omnia prae oculis habeantur, perspicuum erit, ipsos quoque Patres, qui opponuntur, non re, sed verbotenus a nostra sententia discrepare.

Quod attinet ad Joannem Thessal., eadem fit responsio. Animadvertatur insuper, ipsius sententiam confundi non posse cum sententia Concilii, a quo potius *implicite* explosa videtur.

Singulas objectiones, quae ex patribus et Scripturis contra spiritualitatem angelorum magno numero peti solent, relinquimus, cum ex dictis facili negotio solvi possint. (Cf. Vasquez p. 1.ª disp.ª 178 — Valentia p. 1.ª disp. 4.ª q. 2.ª).

Coroll. 1. Ergo angeli natura sua immortales et incorruptibiles sunt.

Coroll. 2. Angeli, utpote corpore soluti, dici nequeunt concupiscentiae vel irascibili obnoxii, ut declarat Thomas (q. 59. a. 4), quia in angelis est tantum *appetitus intellectivus*, non sensitivus, et *indivisus* manet, et *vocatur voluntas*.

Thes. VI. Angeli nativa, insitaque facultate neque humanae mentis actus, neque ea quae libere futura sunt, cognoscere valent.

D. 1. p. Scripturae et Patres cognitionem eorum, quae homines mente volvunt, et nullatenus extrinsecus manifestant, soli Deo vindicant, eamque habent ut divinae essentiae characterem et tesseram. III.° Reg. VIII.° 39 = Tu nosti *solus* corda filiorum hominum =. Jer XVII.° 9 =:

═ Pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor ═ Cf. etiam Eccli. 42. 18 Ps. VII.° 10 etc., ex quibus locis haec tria deducimus:

1.° Deum cognoscere occulta cordium.

2.° Deum solum ea cognoscere.

3.° Et in hoc etiam Dei scientiam ab humana et angelica secerni. Cui veritati Patres omnes suffragantur, quos Petavius de angelis l. 1.° c. 7.° collegit. Origenes hom. VII.ª in Gen. haec habet ═ Deo *soli* cognitum esse propositum mentis . . . . Angelus ad me dicere non poterit: quia cognovi quod tu times Deum ═. Chrysost. hom. 24 in Joannem ═ Quae in corde hominum insunt nosse, *solius est Dei* ═. Eusebius Emissenus hom. de Trin. ═ Purificat Deus conscientias, quarum *solus* emendator, *solus* cognitor est: Deo enim tantum potest illud adscribi ═ qui *solus* nosti corda hominum ═. Unde Fulgentius, Hilarius, Athan., aliique Patres Christi divinitatem ex eo etiam probant, quod occulta hominum noverat propria virtute.

Quod Thomas demonstrat q. 57 a. 4, ubi duplicem cognoscendi rationem distinguit: prior est rei cognitio, quatenus in effectibus revelatur, quae communis est angelis et hominibus, et angelis magis propria quam hominibus, cum subtilius intelligant: altera ratio cognoscendi cogitationes et voluntatis affectiones ea est, qua in voluntate et intellectu videntur ═ Et sic solus Deus cogitationes cordium et affectiones voluntatis cognoscere potest . . . . . Quia voluntas rationalis creaturae soli Deo subjacet, et ipse solus in eam operari potest, qui est principale ejus objectum, ut ultimus finis. Et ideo, quae ex voluntate sola dependent, vel quae in voluntate

sola sunt, soli Deo nota sunt, = (Cf. q. 63 a. 1. 9. 105 a. 5.)

Coroll. 1. Hinc apparet, Deum optime humanae dignitati prospexisse, quae soli Deo subjicitur.

Coroll. 2. Ergo homines *in ordine interiori morali* liberrimi sunt, cum independentes sint a qualibet creatura, et a nemine perturbati.

Scholion 1. Angeli et multo magis daemones naturali rationis lumine statum gratiae et sanctitatis animarum ignorare videntur, ut existimat Augustinus quod cum dictis cohaeret.

Scholion 2. Angeli et multo magis daemones *naturaliter* Deum in ipsa sua essentia videre non possunt, quod liquet ex se, et Thomas plurimis in locis docet et demonstrat.

Scholion 3. Angeli plura didicerunt *per* ecclesiam, ut dicunt Patres, et indicant ss. Litterae, minime vero *ab* ecclesia. Sic Thom. in comm. ad Ephes.

Scholion 4. Sic affirmandum videtur, angelis a principio incarnationis mysterium fuisse manifestum; et daemones numquam certo Christum, ut Filium Dei mundique Redemptorem cognovisse. — Haec est mens plurimorum Patrum, inter quos numerantur Ignatius M., Hieronymus, Ambrosius, Leo, Augustinus, Cyrillus Alex., Maximus Taur.; Anselm., Thom., etc.

D. 2.^{ae} Indubitatum est, angelos, et *a fortiori* daemones, ad *futura libera* cognoscenda penitus impares esse. Huc pertinent argumenta omnia in superiori parte prolata. Addimus testimonia Isaiae 41. 12: = Accedant (dii gentium) et nuntient nobis quaecumque ventura sunt: priora quae fuerunt nuntiata . . . . . . quae ventura

sunt indicate nobis =. 23 = Annuntiate quae sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos = c. XIX.° 12 = Ubi nunc sunt sapientes tui (o Ægypte)? Annuntient tibi et indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum =.

Haec duo oracula luculenter demonstrant, cognitionem futurorum, quae dicuntur libera, unius Dei propriam esse. — Hinc quoque consequitur, vaticinium probationem esse invictam divinae revelationis.

Argumentum perentorium ita institui potest. Quae necessaria non sunt a voluntate Dei et hominis tantum pendent: atqui angeli naturalibus viribus non modo occulta divinae voluntatis, sed etiam humanae penetrare non valent: ergo etc. —

Angeli cognoscuntne omnes naturae vires? Omnes omnino, ducibus theologis, non putamus; plures concedimus; quae cognitio etiam ad daemones extendi debet, qui, licet inferni poenis affecti, vim naturalem intellectus non amiserunt. — Si quis autem objiceret, quod, hac angelorum et daemonum cognitione concessa, ipsi plura vaticinia edere, et etiam miracula patrare possent, et homines decipere, respondemus:

Si sermo est de bonis angelis, nulla est difficultas, propterea quod ipsi nihil, nisi volente Deo, et ad confirmandam veritatem facere poterunt: si vero de daemonibus quaestio est, respondemus: eos plura facere posse, quae nobis supernaturalia viderentur: verum erit divinae providentiae daemonum praestigia, aut etiam eorum opera, quae nobis supernaturalia viderentur, vel impedire, vel ad veritatis probationem ordinare, vel contra-

riis veris miraculis refellere, vel internis aut externis signis aut criteriis originem et auctorem patefacere.

Dionysius Petav. fuse disserit in l. 1. c. 9 de iis, quae ex daemologia et necromantia opponuntur.

CAPUT TERTIUM

De ordine, quo Angeli dispositi sunt, seu de hierarchiis.

THES. VII.ª Sicut certissimum est, plurimos numero existere angelos. eosque gradibus distinctam efficere societatem, ita audiendi illi non sunt, qui doctrinam de novem angelorum ordinibus, deque tribus eorundem hierarchiis, universim et nimis leviter contemnunt.

D. 1.ae p. Etsi angelorum numerus determinari non possit, certissimum tamen est, magnum et incredibilem esse. Legimus apud Dan. VII.° 10 seq. = Millia millium ministrabant ei, et decies millia centena millia assistebant ei, = quae locutio nihil aliud significat, nisi multitudinem angelorum, quae quemlibet numerum excedit. Gemina sunt testimonia Job XXV. 3 = Numquid est numerus militum ejus? = Apoc. V. 2 = Audivi vocem angelorum multorum . . . . et erat numerus eorum millia millium =. Cf. Judae ep. 14. 15. Math. 26. 53. ad heb. 12. 22. etc. etc.

Conspirant Patres: Nyssenus de opif. hominis dicit: = angelorum copias esse numero infinitas =. Irenaeus l. 2 c. 6 = Innumerabiles angeli (sunt) = Athenagora legat. 10: = Fatemur, angelorum numerum magnum esse = Thomas q. 50 a. 3, cui schola universa adstipulatur,

dicit = quod angeli in quadam multitudine maxima sunt, omnem materialem multitudinem excedentes . . . . Quia cum perfectio universi sit illud, quod praecipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua sunt magis perfecta, tanto in majori excessu sunt creata a Deo. =

Neque hic theologos illos sequemur, qui, nimia curiositate abrepti, probare nituntur, vel angelos numero aequare homines, juxta quemdam Deuter. locum, vel ex parabola de centum ovibus, deque una deperdita, contendunt, numerum angelorum ad homines se habere, ut unus ad centum, etc.

Haec ad tempus terendum et theologiae majestatem dejiciendam ab hominibus, qui semper discentes ad scientiam numquam perveniunt, invecta sunt.

D. 2.ae p. Haec angelorum incredibilis multitudo ordinatissima esse debet, ut character divinorum operum postulat, et simul illius beatae civitatis ratio et ordo, nec non denominationes ipsae, quibus angeli insigniuntur: vocantur enim exercitus, societas, et gradibus distinguuntur in monumentis inspiratis et ecclesiasticis.

Angeli in sacris litteris novem distinctis nominibus insigniuntur, quae novem distinctos gradus indicare videntur. —

1.° De angelis ubique in Scripturis sermo fit. 2.° De archangelis plus semel est mentio. 3.° Memorantur principatus. 4.° Potestates. 5.° Virtutes. 6.° Dominationes. 7.° Throni (a Paulo ephes. 1. 21. coll. Coloss. 1. 16). 8.° Cherubim etc. 9.° Seraphim nomina leguntur.

Unde Gregorius M. hom. 34 concludit = novem proponuntur angelorum ordines =.

Quod caeteris disertius pseudo-Dionysius, quem posterius omnes Patres, et postea theologi sectati sunt, tradidit et enucleatius expolivit. Ipse tres hierarchias distinguit, et singulas hierarchias in tres ordines seu choros disponit, ita ut in angelicis dispositionibus Trinitatis quaedam imago lucescat. Sic disponuntur juxta Dionysium: I.ª hierarchia angelis, archangelis et principatibus constat: II.ª hierarchia potestatibus, virtutibus et dominationibus coalescit: III.ª hierarchia thronis, cherubim et seraphim componitur. Docet Dionys. primam hierarchiam secundam, secundam tertiam purificare, illuminare et perficere, et ita etiam inter se uniuscujusque hierarchiae choros conjungi.

Haec doctrina de triplici hierarchia, deque novem ordinibus ante Dionysium praeformata quidem erat, sed nondum ad formam, quam nunc habet, redacta. Et quod haec doctrina etiam ante Dionysium in ecclesia exstiterit, testes habemus scriptores inspiratos supra cit., et Patres, ut Irenaeum l. II.° c. 54, Origenem, Periarcon 1. 5, Athan. ad episc. Serapionem et or. 4. adv. Arianos, Cyrillum Alex., Basilium, Epiph., Nyss., Nazianz., Titum Bosren. apud Petav. l. 2 c. 1. —

Coroll. 1. Quamvis igitur haec dispositio hierarchica angelorum inter dogmata recenseri nequeat, repellendi tamen sunt protestantes et prophani homines, ut Beza, Dupin, etc. qui eam rident.

Coroll. 2. Relinquendus videtur et Origenes l. c. 7. 6, qui opinatur, angelos non natura, sed meritis diversos gradus nactos esse.

Coroll. 3. Nimius est Suarez, qui hanc doctrinam inter fidei articulos numerat: nulla est enim formalis

definitio, et apud ipsos Patres diversae sunt sententiae et quoad numerum et quoad ordinem cujusque chori.

Coroll. 4. Nimii videntur et Thomas q. L. a. 4, Suarez, et Ventura, qui singulos angelos inter se specie differre arbitrantur. Aliter enim sentiunt Origenes, Dionys., Didymus, Nyss., Alex. Cyrillus, Maximus M., Nazianz. et ipsa schola in varias abivit sententias. Bonav. cum quibusdam dicit, angelos differre officiis et honoribus: alii aliter senserunt etc.

Qui vero singularum hierarchiarum et singulorum ordinum officia nosse desiderat, consulat Dionys. in op. de coelesti hierarchia, ubi de hac re fuse disserit, et ex quo pene omnia, quae in theologis occurrunt, deprompta sunt.

Scholion 1. Quaerunt theologi, utrum angeli sint in aliquo loco, et utrum a loco ad locum ita moveantur, ut loca intermedia transire eos necesse sit.

Angelos in loco aliquo esse oportere, nulla est dubitatio; angeli enim *non infiniti* et *immensi*, sed *finiti* ac *circumscripti* sunt: et propterea Thomas egregie q. 52 a. 1. dicit, quod angelus = non est in loco (ut corpus), per hoc quod applicatur loco secundum contactum dimensivae quantitatis, quae quidem in angelis non est, sed est in eis quantitatis virtualis. Per applicationem igitur virtutis angelicae ad aliquem locum qualitercumque dicitur angelus esse in loco corporeo. = Angelus non continetur a loco. = Nam, pergit Thomas, substantia incorporea sua virtute contingens rem corpoream continet ipsam, et non continetur ab ea: anima enim est in corpore ut continens, et non ut contenta: et similiter

angelus dicitur esse in loco corporeo, non ut contentus, sed ut continens aliquomodo =.

Hinc sequitur: 1.° angelos non posse esse simul in plurimis locis, quod est proprium solius infinitae essentiae. 2.° Angelos non posse simul esse in eodem loco, quia cum sint substantiae *completae* ejusdem naturae, una alteram excludere debet. (V. Thom. l. c. a. 2 et 3.).

Modus, quo angeli moventur, nobis incompertus est: sunt Patres et theologi, qui existimant, angelos momento temporis moveri, et solo voluntatis actu eo esse, ubi volunt, intermediis spatiis pertransactis.

Sunt, qui cum Thoma q. 53 a. 1. 2. 3. tenent, angelos, non instanti temporis, sed *localiter* et per interjecta spatia transire, quae sententia mihi magis arridet, et naturae angelicae finitae et circumscriptae magis respondet.

Scholion 2. Angeli inter se communicant, imo et loquuntur, ut ait Paulus I.ª Cor. XIII.° 1. =. Si linguis hominum et angelorum loquor, charitatem autem non habeam etc. etc. = Quomodo autem loquantur, nescimus; profecto non loquuntur ratione corporali, sed ratione ipsis propria, scilicet simplicissimo voluntatis et intellectus actu.

CAPUT QUARTUM

De angelorum officiis praesertim prae hominibus.

Thes. VIII.ª Statuimus, Deum in administranda hac rerum universitate, et maxime in regendis prote-

gendisque hominibus, angelorum ministerio frequentissime uti.

D. Nihil exploratius tum in divinis oraculis, tum in operibus Patrum, caeterisque ecclesiasticis monumentis, quam rerum universitatem, et nominatim homines, angelico ministerio regi et gubernari. A Genesi ad Apocalypsim usque sacra Scriptura angelorum ministerium narrat. Adam ejicitur ab angelo: Abraham angelos hospitio recipit: ab angelis servatur Loth: angeli Sodomam et Gomorram conflagrant: angeli apparent Jacob, Agar, Moysi, Davidi, Eliae; Balaham resistunt, Assyrios interficiunt, Eliodorum repellunt, Judae Mach. auxiliantur, nativitatem Joannis et Christi nuntiant, Josephum admonent, aquam piscinae movent, Christo praesto sunt, resurrectionem praedicant, Cornelium instruunt, Petrum vinculis solvunt; tota Apocalypsis plena est angelorum apparitionibus etc. etc.

Transmittimus Patrum testimonia, ecclesiae liturgicas orationes etc., cum haec doctrina certissima sit.

Scholion. S. Thomas et theologi cum eo tenent, non omnes angelos in ministerium mitti, sed tantum angelos inferiorum ordinum; imo Vulgatus Dionysius, Lombardus Anselmus, Gregorius M. defendunt, nonnisi tres ordines posterioris herarchiae mitti ad officia in terris obeunda. Quae sententia refragari videtur verbis Pauli ad Heb. 1. 14, ubi *omnes* angeli dicuntur administratorii Spiritus, et Isaiae VI.° 6, ubi dicitur Seraphim missus et Gen. III.° 24, ubi Cherubim protoparentes ejicit, et portam paradisi custodit.

THES. IX.ª Nominatim defendimus: 1.° Angelos praesidere regnis, provinciis et ecclesiis: 2.° Angelos

praesto esse singulis fidelibus: 3.° Neminem esse hominum, qui angelorum auxilio omnino privetur: 4.° Denique falli eos omnes, qui hujus ecclesiasticae doctrinae originem a Platonicis commentis derivant.

D. 1.ae Daniel X.° 12. 21. XII.° 1. etc. scribit = Angelus dicit ei (Danieli) noli metuere etc. = et pergit = Princeps regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michäel, unus de principibus primis, venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum = v. 21: = Numquid scis, quare venerim ad te? Et nunc revertor, ut praelier adversus regem Persarum: cum ego egrederer, apparuit princeps graecorum veniens . . . . Et nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michäel princeps vester. = c. XII, = In tempore illo consurget Michäel princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui etc. =

Ex quibus haec deprehendimus:

1.° Michäel esse angelum titularem populi Isräelis.

2.° Esse alios angelos principes, qui regibus Graecorum et Persarum assistunt.

3. Et alium angelum, qui loquitur cum Daniele, quique causam Israelis contra principes Persarum et Graecorum propugnat.

Ergo a pari dicendum est de aliis regnis.

Hieronymus quidem dubitare videtur, utrum angelus iste, qui praeliatur sit bonus vel malus; at ipse quoque doctrinae nostrae subscribt, et citat locum Deuteronomii XXXIII.° 8. Cf. etiam Clemens alex. Tom. VI.° 17. Origenes Gen. hom. 16. 2. et alib., Eusebius Demonst. ev. IV.°, 10. Basilius c. eun. III.° 1. Epiphanius haer. 51. 34 Chrysost. in Math. hom. 61.a

Basilius l. c. = Quod sint quidam angeli gentibus praepositi docet Moyses (l. c.) quando constituit terminos populorum juxta numerum angelorum =. Confirmatur ex l. Act. XVI. 9, ubi Paulus excitatur a viro, ut in Macedoniam transeat, et videtur Macedoniae angelus. — Quid vero censendum sit de pugna illa angelorum, quam refert Daniel, quique omnes boni videntur, aperiunt Patres et interpretes: unusquisque angelus genti, populoque sibi concredito prospicit, ejusque bonum curat, et merita Deo offert: cum autem Deus angelis istis non omnia patefaciat, quae populorum pugnantium fortunam respiciant, hinc angeli colluctantur, utique precibus et suasionibus et meritis populi sibi commissi propositis.

D. 2.ae p. Si angeli populis, regnisque temporalibus praesunt, in ambiguo esse non potest, angelos coetibus religiosis, ecclesiisque praesidere. V. apoc. c. 1 et Patres plures, ut Nazianz. or. 32 scribentem: = Nec mihi dubium, quin alii aliarum ecclesiarum praesides ac patroni sint, quemadmodum in Apoc. Joannes me docet = Ambrosius l. 2 in Luc. = Non solum Dominus episcopos ad tuendum gregem ordinavit, sed etiam angelos destinavit =. Et Origenes hom. 12. 13 in Lucam = Unicuique ecclesiae generaliter angelus praeest, qui vel collaudatur pro bene gestis populi, vel etiam pro delictis ejus culpatur =. Omitto Eusebium in ps. 90. 12, Hilarium in ps. 124, Basilium etc.

D. 3.ae p. Angeli curam omnium et singulorum fidelium indubitanter gerunt. Cf. Gen. 42. 16 = Angelus, qui eruit me de cunctis malis (ait Jacob) = Judith. 13. 10 se custoditam dicit ab angelo =. Ps. 90. 11. 12

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant etc. = m. Ps. 33. etc.

Classicus est locus Math. XVIII. 10. = Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis: quia angeli eorum (custodes scilicet eorum) semper vident faciem Patris mei etc. = In Act. XII. 15. mentio fit de angelo Petri et Paulus ad Heb. scribit. (1. 14.): = Omnes enim sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis. = Nihil his testimoniis lucidius desiderari potest. Basilius. = Quod unicuique fidelium adsit angelus tanquam pedagogus et pastor, nemo contradicat, qui Dei verbum meminerit = Hieronymus = Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum. = Omitto Origenem VIII. n. 8 in Genes. Chrysostomum in Matheae. hom. 59, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, etc. Vide Petavium l. II. c. 7. 8., et de la Cerda, de angelis custodibus.

Coroll. Ex citatis locis conspicuum videtur, non solum singulis fidelibus, sed singulis hominibus, sive sint baptizati, sive non, angelos custodes assignari, et quidem ab ortu nativitatis, ut censet Hieronymus. Id, quod Thomas illustrat q. 63 his observationibus. = Divina providentia ad omnes et singulos homines extenditur; atqui custodia angelorum est quaedam divinitatis providentiae executio etc. 2. Viatores homines periculis obnoxii sunt; porro sicut viatori homini periclitanti angeli tutelares assignantur, ita generatim hominibus omnibus periclitantibus. 3. Sicut homo corpore et spiritu constans corporibus praeest propter sui partem spiritalem, ita prae parte spiritali ab altioribus spiritibus

adjuvari et regi debet. 4. Ut omnes homines a malis spiritibus vexantur, ita a bonis spiritibus defendi debent. — Qui alia plura de angelorum administratione et custodia videre cupit, conferat Thomam p. 1. q. 110. 111. 112. 113.

D. 4.ae p. Christiana doctrina de Angelis custodibus a Platonicis commentis duci non potuit, ut asserere ausi sunt rationalistae recentiores. Sane: 1.° haec doctrina tempore platonicis opinionibus praevertit, ut ex libris V. T. effecimus. 2.° Patres ad revelationem, non ad platonica philosophumena provocant. 3.° Potius graeci philosophi ab hebraeis christianis mutuari potuerunt. 4.° Graeci non angelos, sed genios et daemones vocabant 5.° Graeci putabant genios istos vel daemones Deorum vicem explere, qui hominum curam negligebant. 6.° Graeci habebant genios ut totidem Deos. 7.° Juxta graecos genii isti in terris, non vero in coelis versabantur. 8.° Graeci geniis et daemonibus cultum, ut diis tribuebant. Verum christiani et hebraei ab his graecis fabulis abhorrebant. Ergo.

TRACTATUS DE HOMINE.

PROLEGOMENA

SOLENT theologi post absolutam de creatione rerum omnium, deque angelis disputationem, de singulis sex dierum operibus sermonem instituere: at de hisce non est nostrum disserere, siquidem haec elucubratio ad physicas potius disciplinas, quam theologicas pertinere videtur.

Qui singula sex dierum opera singillatim discurrere desiderat, habet auctores, quos conferat, ex. gr. Petavium de opif. sex dier. l. 1. c. 6. sequ. usque ad finem libri, Suarez de opere sex dierum, effem. La Civiltà Cattolica, la Cosmog. mosaica etc., s. Thomam p. 1. q. 68 usque ad 72 etc.

Juverit animadvertere, nos in praesenti non omnia, quae a philosophis de anthropologia pertractantibus investigantur et probantur, in medium proferre, sed ea, quae penitius theologiae devinciuntur, quaeque ex theologicis fontibus demonstrari possunt.

Apud ecclesiasticos auctores duplex occurrit hominis definitio, quarum prima est; homo anima rationalis est, mortali et terreno corpore utens — (sicArnobius adv. gentes II. 23.) — Nyssenus or. I. in illud = faciamus

hominem etc = Augustinus, Origenes, Gregorius Magnus, Ambros. etc.). Altera vero communior et universim recepta: homo est animal rationale (Athan. de comm. essentia — Basilius adv. Eunom. l. IV. — Schola universa etc.).

Thes. I. Supremum et nobilissimum totius visibilis creationis opus fuit homo, videlicet substantialis synthesis utriusque naturae spiritalis et corporeae.

D. In Genesi. I. 26 et sequen. c. II. 8. etc. Moyses narrat creationem hominis factam fuisse post caeteras omnes creaturas, sexta die; ita ut luculenter appareat, hominem ultimum esse creatoris opus.

Cujus rei hebraei et christiani inquirentes causam nos docent:

1.° Sicut prius paratur convivium, deinde convivatores vocantur; sicut in theatris prius omnia parantur, quae ad ludos exhibendos necessaria sunt, deinde spectatores introducuntur, ita Deus prius mundum ornavit et explevit, postea hominem tanquam convivam et spectatorem et principem introduxit (Philo, de mundi opif.).

2.° Ut homo intelligeret, se in bonis omnibus victurum, si divinis praeceptis obediret (Id.)

3.° Ut hoc pacto primum Dei opus et postremum sibi mutuo responderent, et coelestia et terrestria, sublimiora et inferiora in unum copularentur, et universi orbis in homine repraesentaretur imago. (Philo, Nyss. etc.).

4.° Ut per creatas res tanquam per gradus quosdam homo ad Deum ascenderet (Lact. l. VII. — Justinus, Nyss. Nazianz. or. 38.).

5.° Ut intelligeremus, omnia ad hominem *immediate*,

et per hominem omnia ad Dei gloriam patefaciendam ordinata esse.

Hominem autem nobilissimum esse visibilis creationis opus liquet ex Psal. VIII.6.: = Quid est homo, quod memor es ejus? minuisti eum paulo minus ab angelis etc. omnia subjecisti sub pedibus ejus etc. = Ex Gens. I. 28: = Crescite, multiplicamini, replete terram et subjicite ea. = Confer Sap. II. 23. Ecclesiam. XVII. 3. etc.

Idipsum deprehendimus ex ratione, qua Deus hominem creavit et formavit: Genes. 1. 26. = Et ait (Deus) faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram = II. 7. =: Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae etc. = In creatione hominis praecedit veluti quoddam Dei consilium: Deus ipse, observat Nyssenus, dicitur manibus suis hominem fecisse: nihil simile in aliarum creaturarum productione. Haec omnia in commentariis suis Patres eleganter expoliunt, inter quos videre est Tertullian. c. Marcion. l. II. c. 4. — Severianum hom. 5. in Genes — Theophilum l. II. Ad uthol. — Cyrillum, Glaphir. etc. Quapropter ad hominis dignitatem extollendam ipsum vocant *linguam* mundi (Athan. de Incarn.), *baptismum* universi orbis (Nyss. de opif. hom. c. III), *praesidem* mundi visibilis (Naz. or. 28), *μικροκοσμον* vel *κοσιιον του κοσμσυ* (Method., Hieron. ep. 38 etc.) — Quae hominis dignitas tum ex spiritus dotibus, tum ex ipsius corporis structura, et sensibus, quibus pollet etc. rursus confirmatur.

Nihil evidentius, quam hominem duplici constare substantia, spiritali scilicet et materiali. Sane: in Scripturis ss. innumeris locis de homine ea praedicantur, quae duplicem postulant naturam; ex gr. dicitur mortalis et immortalis, corpus et spiritus, deficere in hac vita et in altera vivere. = Legimus = Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere etc. = Confer loca Genes. II. 7, ubi diserte duplex hominis substantia exhibetur, limum terrae, spiraculum vitae; pulvis et anima vivens. Confer symbolum athanasianum. = Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. =

Conspirant Patres duas in homine distinguentes substantias, unam ex terra, alteram de coelo, ut terrae dominari posset, et coeli terraeque concordia servaretur. = (S. Jo. Chrysost.). = Homo, scribit Nazianzenus, est oppositorum commixtio, ex duobus temperamentum, unum animans ex duobus, invisibilis et visibilis naturae, spiritus et caro. =

In Concilio Viennensi habito anno 1311 definitum fuit: = animam rationalem et intellectivam vere ac per se (immediate) *formam* esse corporis. = Idipsum antea indicaverat Lateranense c. *Firmiter*, et postea Lateranense V. sub Leone X. et Tridentin. sess. V. in decr. de peccato originali, ubi discimus, hominem secundum *animam et corpus* in deterius mutatum esse. = Est igitur fidei doctrina, hominem synthesim esse duplicis substantiae, corporeae videlicet et spiritualis.

Praetermittimus argumenta philosophica, ne jam dicta repetamus. —

Coroll. 1. — Ergo anima humana ex se non est substantia completa et perfecta, sed *essentialiter* ad corpus ordinatur, iisque dotibus decoratur, quibus corpori vitam sensitivam impertiri valeat. (S. Thom. 1. 1. q. 75. a. 4). —

Coroll. 2. — Ergo in homine duplex haberi debet series foenomenorum, quae utrique substantiae respondeant.

Coroll. 3. — Ergo anima humana non est ejusdem speciei cum angelis (Thom. l. c. a. 7.).

Coroll. 4. — Ergo anima humana non conjungitur corpori, positis quibusdam dispositionibus accidentalibus, vel mediante aliquo corpore, sed *per se, et necessario, et immediate,* ut demonstrat Thomas q. 76.[a] aa. 6. 7.

Non sine fructu legi poterunt, quae Thomas disputat de potentiis animae tum in genere, tum in specie, de appetitu, de sensualitate, de voluntate, de libero arbitrio, de ratione, qua anima corporalia et spiritualia intelligit, etc. etc. V. a q. 77.[a] ad q. 90.[am]

Scholion 1. Sententia quorundam Judaeorum (Phil. mund. opif. Maimonidis Nebok p. II.[a] c. 20), et gentilium (Platonis apud Eusebium D. Ev. XII.[o] 12), necnon quorundam Patrum (Basilii de Virg. - Nyss. l. c.), cui subscripserunt Scotus Erigena et serius Bhöme, Pordage, Kaune, Bourignon et alii, primum hominem fuisse *androginem* seu *hermaphroditum,* masculum-feminam, falsa et ridicula est, eamque Augustin. graviter reprehendit Gen. ad litt. l. III.[o] c. 22).

Scholion 2. Idem Augustinus rejicit eorum opinionem, qui arbitrantur, mulierem creatam fuisse ob praevisionem originalis peccati, et in statu innocentiae nullam

futuram generationem, cui opinioni accesserunt quidam Patres (cf. Augustinus de Civ. Dei l. 14. 23 - et de peccato originali 35 n.° 4.°). Phisiologia enim ostendit, ita naturam ordinatam esse, ut conjunctio hominis et mulieris naturalis sit, etsi in statu innocentiae libido et partus dolores nulli forent. (cf. Thom. p. 1. 1. q. 98 aa. 1. 2).

Scholion 3. Leges omnes hermeneuticas violant et populorum traditionibus refragantur rationalistae, qui inter mytos recensent formationem mulieris ex costa Adami.

Scholion 4. S. Thomas (1. 1. q. 92 a. 2) quaerit, utrum prima mulier debuerit fieri ex viro, et affirmat, quia: 1.° decebat hominem esse *principium totius suae speciei*. - 2.° Ut vir magis diligeret mulierem: - 3.° quia et vir et femina conjunguntur non solum propter necessitatem generationis, sed etiam propter vitam domesticam. - 4.° Figuratur per hoc, quod Ecclesia a Christo sumit principium.

Articulo sequenti investigat, cur e costa potius quam ex capite vel ex pedibus producta fuerit mulier, scilicet ut intelligeremus, eam neque viro dominari posse, neque serviliter eidem obedire debere.

Thes. II. Distributio hominis in spiritum, animam et corpus a Scripturae suffragio aliena existimari debet.

D. Ex ethnicis Plato, Pytagoras et alii, ex hebraeis Joseph Flavius. Archeol. l. 1. c. 1, ex nostris Irenaeus l.V. c. 6, Origenes Periar. l. 3 c. 4, Nemesius de nat. hom. c. 1., Lactantius, Clem. Alex., Tertull. et alii docent, hominem triplici constare substantia, corpore, anima et spiritu. Quae doctrina ducta videtur ex Paulo 1.a Cor. XV.

44 - ad Coloss. II. 14 - I.ª Thess. V. 23 - ad Hebraeos IV.° 12 - Dom. III.° 16.

At haec opinio de tritocomia est prorsus relinquenda, utpote nullo biblico fundamento innixa, et traditioni contraria.

Quod attinet ad locum Danielis: = Benedicite spiritus et animae justorum = observamus, pluries duplici vocabulo unam eandemque rem significari, quod omnes sciunt: ipse Daniel paulo post subjunxit = Benedicite sancti et humiles corde etc. = Praeterea illa locutio: = spiritus et animae = potest sumi de angelis et de hominibus. Ergo.

Quoad alia loca conglobatim respondemus, distingui *spiritum* ab *anima*: 1.° quatenus voce *spiritus* exhibetur donum *supernaturale*, gratia divina, minime vero tertia quaedam naturalis substantia. - 2.° Quatenus indicatur distinctio *non realis*, sed *mentalis* inter *spiritum* et *animam*: spiritus significat partem superiorem, intellectivam hominis, anima vero principium corpus vivificans, ut explicat Jos. De-Maistre (Soirées etc.)

Qui paulo diligentius Patrum et Scripturae loca opposita perpenderit, profecto dabit, non aliter posse enarrari.

Imo Scriptura tricotomiam explodit, cum docet (Gen. II.° 7. Eccles. XII.° 7), non tres, sed duas esse hominis substantias, scilicet corpus et animam, seu spiraculum vitae, et naturam humanam resolvi in corpus et spiritum: cum docet homines reviviscere per conjunctionem corporis et spiritus (Exech. 37. 10), et sanctificari oportere corpore et spiritu (1.ª Cor. VI.° 16 - VII.° 34): non tres igitur, sed duae sunt hominis substantiae, et

si quando de tertio quodam elemento mentio fit, non est nisi distinctio mentalis, ut ea est, quae ponitur inter intellectum et memoriam, et communius significatur gratia supernaturalis, quae nullo pacto confundi potest cum iis, quibus natura humana coalescit.

Res luculentior evadit, si consideretur doctrina Patrum disserentium contra Apollinarem. Iste tuebatur, hominem constare triplici substantia, ut docuerat Plato; dicebat autem in Christo loco mentis vel spiritus ipsum esse Verbum divinum. Patres vero refellentes Apollinarium negant triplicem illam substantiam, ut apparet ex Athanasio c. Apollinarium, Nazianzeno or 40, Basilio hom. = attende tibi, = Nyssseno in antyretico, Vincentio Lirin. Common. c. 27.

Augustinus (de Civitate Dei l. XIII. 1. 2.) diserte scribit: = homo constat anima et corpore, = quod alibi repetit. Item Hieronymus, Damascenus, Gennadius. Haec ipsa doctrina adsignificata indubitanter fuit in Ephes. Concilio; et Calcedonense declaravit, = hominem constare corpore et anima. = Possemus alia monumenta proferre ex symbolis, ex universa schola; sed, quae diximus, abunde sufficiunt.

Scholion. — Haeretica est illorum sententia, qui dicebant, vel omnes homines nonnisi unam habere animam, vel singulos homines plures habere animas (conf. Lateranense V. et Viennense).

Thes. III. Eadem catholica veritas adversus transformistas propugnatur.

Dem. Materialistae Darwin, Lamarck, Lametrie, Defilippi aliique censent, hominem, ut modo se habet, fructum esse atque effectum transformationum innu-

merabilium; quas quidem examini ac veluti calculo subjicientes, disserere audent de organismi varietatibus, quae primis parentibus humani generis fuerint subeundae.

Equidem nescimus utrum horrorem potius an pietatem excitent placita hujus scholae, quibus ex. gr. statuitur, hominem temporis quidem periodo nobis proximiori animal fuisse, feminam aeque ac marem, setis obsitum ac barbatum, cauda praeditum, intestinum habens caecum (ut aiunt) evolutiorem, pedes non secus ac manus apprehendendo aptas, arboribus, simiarum instar, adrepere assuetum: antequam autem terrestre esset animal, fuisse hominem instar piscis, pro pulmonibus vescica ad natandum, pro corde, pulsanti vase munitum; et rursum antea animal fuisse pisce inferius etc. Quarum quidem sententiarum fautores, nostris his diebus, munere doctorum funguntur in studiorum Universitatibus atque verbis scriptisque fidem detrahunt, ac illudunt doctrinae Mosaicae de hominis origine. Quos contra praestat paucis defendere veritatem catholicam de unitate specifica generis humani.

I.° Totum eorum systema innititur theorematí de infinitis transformationibus specierum. Jamvero probent, atque ostendant, factis adhibitis, quae in dubium revocari nequeant, hujusmodi specierum animalium transformationem. At frustra in horum doctorum scriptis vel umbram demonstrationis quaerimus.

II.° Imo opportuna rerum consideratio, diligens fossilium studium, atque experimenta evidenter probant contrarium. Constanter enim videmus temporibus historicis typos specificos animalium atque plantarum ita absque immutatione servatos, ut ibridae aut sterilitate

mulctentur, aut individua pariant similia iis, unde originem illae traxerunt. Natura scilicet inter unam aliamque speciem fines constituit, qui superari nequeunt, quin quamprimum fons vitae arescat, aut propria species instauretur.

III.° Studia geologica adeo temporibus nostris progressa, nobis exhibent novum argumentum catholicae veritatis, simulque malae fidei ac ignorantiae, qua laborant transformistae, qui perfracte contendunt, humanam speciem esse ultimum elaboratum, supremamque materiae transformationem.

Omnia inventa in υπογειῳ aegypti, et in phisica plurimarum regionum structura, nobis exhibent vetustas omnes species vegetalium et animalium perfecte pares speciebus, quae modo existunt: species autem illae, doctorum judicio, aetatem attingunt quindecim vel viginti mille annorum. Jamvero cum tot saeculorum intervallo nulla appareat vel levissima transformatio, qua fronte dici potuit, humanam speciem fructum esse transformationis cujusdam e vegetali in animal, de specie in speciem, usque ad formam, quam nunc exhibet? Scrutentur terras omnes antiquissimas, ab iis quae appellantur *rocce di gneis* et *micaciti* usque ad sic dicta *silurci* et *permiani*: accurato examini subjiciant viginti quinque millia fossilium organicorum vegetalium et animalium, quae ibidem passim inveniuntur, et comperient constanter servatum specierum discrimen, atque ideo scientiae positivae judicio explosum ridiculum transformistarum theorema. — Tempus jam adest, ita geologus praestantissimus Buckland, quo geologica inventa videntur nullum phaenomenum exhibitura, quod quidem non

concilietur cum aliarum scientiarum phisicarum argumentis, quae confirmant existentiam et actionem Entis Unici, sapientia et potentia praediti infinita. E contra naturalis religionis perspicuitati accedit jam splendida lux, quae hucusque defuerat, et quam nunc affundunt facta comperta in investiganda telluris structura. =

IV.° Accedit: si diversitas inter homines et simias anathomice et phisiologice spectetur, non est ambigendum, illos ab his originem ducere nullatenus posse. Diversitas enim anathomica et phisiologica patet omnibus: 1. prae *capite* et *cerebro*; 2. prae *ossibus*; 3. prae *pedibus*; 4. prae *pelle*, ut alias pluras, differentias omittamus, consentientibus ipsis adversariis Büchner, Huxley, Moleschott, Canestrini aliisque permultis, qui concedunt, discrimen inter homines et simias, quae propius accedere videntur ad humanas formas, longe majus esse, quam discrimen inter istas et illas, quae ab homine longius distant.

V. Observandum quoque venit, simias non ubique terrarum vivere, sed quasdam tantummodo regiones incolere, dum homines cosmopolitae sunt, ut omnibus manifestum est.

VI. Transformistae quidam asserunt, typum priscum, seu speciem cuius humana species legittima soboles censenda est, jam non amplius exstare, sed citra dubium exstitisse, et inter fossilia antiquissima citius vel serius inveniri posse debere.

Verum, hujusmodi species, quae periit, nondum inventa est, neque inveniri poterit: proferant fossilia hujus speciei, et tunc quaestio examini subjicienda erit.

VII.° Transformistae cum in embrionibus nullum vi-

deant discrimen inter animalium species et homines, affirmare audent, discrimen hoc non haberi.

At facilis responsio: discrimen non videmus, quia instrumenta desunt, quibus videatur; sed discrimen absque dubio etiam in embrionibus existere debet. Namque undenam formarum diversitas, quae postea apparet, si nulla in germine foret? Quod in evolutione omnibus manifestum est, etiam in embrione praeexistere debet, quod inficiari ipse Darwin, parum sibi consentiens, non est ausus. De hac re egregie disputat la *Civiltà Cattolica 4. maggio 1872.*

Thes. IV. Divina revelatione docemur, ab uno parente ita omnes existere homines, ut tam origine, quam specifica naturae unitate, omnes ad eandem familiam, eandemque humanitatem revocentur.

D. Quisque videt, quam penitissimo vinculo unitas humani generis cum dogmate de peccato originali conjungatur. — Sententia praeadamitarum et aborigenorum facile profligatur.

1. Scriptura ne indicium quidem exhibet, esse quosdam homines ab alio quam ab Adamo.

2. I. 27 Genes. Moyses scribit: = Creavit Deus hominem.... masculum et feminam creavit eos = 20 = Adae non inveniebatur adjutor similis ejus =

3. 10 = Heva dicitur = mater *cunctorum* viventium. — Sapientia XI. = (Sapientia) illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit. — Paulus Act. 17 26: — Fecitque ex *uno* (primo homine) omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae. — Confer etiam Sapientiam VII. 1, Ecclesias. XL. 19, I.

Cor. XI. 8 etc. ex quibus omnibus oraculis evidentissime patet, — *a*) Adamum fuisse primum et solum hominem super terram — *b*) Hevam ex Adamo fuisse productam — *c*) Omnes homines ab Adamo et Heva originem ducere — *d*) Ita ut omnes verissimo sensu filii Adae et Evae dicantur. Ergo.

Accedit traditio hebraica, quae nunquam de unitate humani generis dubitavit, eamque constanter professa est, etsi haec doctrina judaicam arrogantiam offenderet — Non est opus Patrum testimonia afferre, qui uno ore profitentur existentiam et universalitatem peccati originalis, necessitatem baptismi et redemptionis pro omnibus, etiam pro infantibus; quae omnia neque concipi possent, nisi praesupposita unitate humani generis.

Speciminis gratia audiatur Ambrosius de Parad. c. 10; explicans causam, ob quam Deus ex viro mulierem fecerit, ait: — Ut sciremus unam esse in viro et in muliere corporis naturam, unum fontem generis humani: ideo non duo fontes a principio vir et mulier, neque duo viri, neque duae mulieres, sed prius vir, deinde ex eo mulier etc. — Conferantur Tertullianus de tetimonio animae c. 6. — Clemens Alexandrinus Strom. l. III. 9 — Chrysostomus homil. 34 in 1 Cor. — Augustinus serm. 90 de Verbis Domini — Theodoretus or. 7 de providentia etc.

Deinde suffragantur innumerae traditiones prophanae Haegyptiorum, Chaldeorum, Phoeniciorum, Graecorum, Romanorum, Indorum etc. (Sanchuniatinois fragmenta citata ab Eusebio, Beroso, Aristophane, Hor. od 1. a. 1 ad XV., Ovid,Metham. l. 1. etc.

Confirmatur ex philologia, quae hac nostra aetate eo pervenit, ut demonstraverit, linguas omnes revocari ad duas vel tres praecipuas, quae ea consanguineitate tum grammaticali tum lexicographica conjunguntur, ut origine unam fuisse liquido appareat. (Klaproth tableaux historiques de l'Asie, et in Asia polyglotta etc. Leibnitz etc.).

Confirmatur ex phisiologia, ex qua novimus, in tanta coloris, morum, consuetudinum, mentis aciei, culturae, capitis formae etc. nullam reperiri notam, quae specificam humani generis diversitatem postulet — (Buffon, Lacèpéde, Cuvier, et alii plures doctissimi viri recentiores).

Scholion 1. - Non solum revelationi divinae, sed scientiis naturalibus repugnat illorum commentum, qui dicunt, animalia viventia originem petere posse ex quadam spontanea generatione, et non ab animalibus ejusdem speciei. Hae sunt ineptiae et deliramenta: Franciscus Redi, Vallisnieri, Spallanzani et alii demonstrant absurdam generationem sic dictam *spontaneam*: necesse est igitur, ut primus homo non e terra pullulaverit, non ex aliis animalibus procreatus fuerit, sed ab alio homine, quousque ad illum perveniamus, qui *immediate* a Deo creatus est.

Scholion 2. - Difficultates, quae contra unitatem generis humani peti solent, sive ex parall. Gen. I.° 26 et II.° 7. IV. 2, sive ex historia naturali, quae exhibet gradationem inter quaedam animalia et hominem, sive ex auctoritate Linnei, Virey, Bory de Saint Vincent, aliorumque recentiorum, qui enumerant plures hominum species, sive ex difficultate, qua homines veteris mundi

impediebantur in Americam et longinquas insulas transmeare, non difficili negotio expediri possunt, dummodo testimonia Geneseos rite expendantur, et recentiora studia phisiologica et ethnographica conferantur (cf. Cuvier (Leçons d'anatomie comparée -, Camper. Blümenbach, Wisemann, etc.).

Scholion 3. - Falsa est doctrina Platonis et Origenis, qui affirmabant, animas perfectas ex se corporibus praeextitisse, et propter patrata peccata in corporibus vel terrenis vel coelestibus juxta merita fuisse inclusas. Quod commentum damnavit Conc. Œcumenicum V.^{m} Constant. II.^{m} =: Si quis animarum fabulosam existentiam, et quae ex illa sequitur, monstruosam restitutionem asseruerit, anathema sit. =

Thes. V. Improbandum est illud placitum, quo affirmatur, vel animas ex animabus, sicut corpora ex corporibus, traduci, vel per totam humanam naturam generari humanam naturam.

D. Origenes (de Principiis prol. n. 5. in Joannem,) Pamphilus Martyr. apol. Origenis, Lactantius, Nyssenus et alii plures fatentur, quaestionem circa animae originem implicatissimam esse.

Tertullianus (De Anima passim et alibi,) Macarius, hom. 30, Augustinus, De origine animae l. 1. 13, et, teste Hieronymo ep. 76 ad Marcellinum, plures occidentales opinabantur, animas traduci per generationem, idest animas traducere animas sicut corpora corpora traducunt: hujus sententiae defensores *traduciani* dicebantur.

Lutherus ejusque rigidiores discipuli eandem opinionem amplexi sunt, utpote magis consonam suae doctrinae circa peccati originalis naturam.

At Lactantius, Institut. l. 2. n. I.° II.° 12 etc. Hilarius, de Trinit. X. 2.°. Ephrem Syrus, de inspirat Hieronymus plurimis in locis, Theodoretus de curan. affect. Graec. 5. Cyrillus alex. adversus Nestorium 1. 4. in Jo. 1. 9. Origenes, Prudentius, Gennadius, Nazianzenus, Ambrosius, Clemens alex., et generatim orientales omnes contrariam tuentur sent entiam, nempe animas creari et in corpora infundi; unde sententia *creatianismi* nomen sortita est, cui universa schola adstipulatur, quaeque omnino tenenda est.

Generatianismum et *traducianismum* rejicit Lactantius hoc modo: = Corpus ex corpore nasci potest, quia confertur aliquid ab utroque: de animis anima nasci non potest, quia ex *tenui* (spiritali) et incomprehensibili nihil procedere potest; serendarum enim animarum ratio solius Dei est =. Ambrosius de parad. l. 2 scribit = Ridendos esse, qui putant ex corporibus seri, et non a Deo, sed a parentibus generari =. Alios Patres cit. transmittimus. —

Sed *generatiani* opponunt auctoritatem Ecclesiae Occidentalis, in qua, auctore Hieronymo, huic sententiae fere omnes subscribebant.

R. 1. Hieronymus hoc dixit per *yperbolem*, ut et alibi solet.

2. Hieronymus pro occidentali Ecclesia intelligere videtur africanam, quia novimus Hilarium, Ambrosium, et Leonem rejecisse *generatianismum*, qui obtinebat in Africa; neque tamen:

3. Erat universalis in ipsa Africa, siquidem ipse Augustinus anceps aliquando fuerit, et iterum atque iterum in *creatianismum* propenderit.

4. Augustinus et Africani ad *traducianismum* accessisse visi sunt, non Scripturae vel traditionis auctoritate innixi, sed quia hac sententia putabant facilius transfusionem originalis peccati se defendere posse, ut diserte declarat ipse Augustinus ep. ad Hieron. et ad Optatum, ubi fatetur, se paratum esse contrariam sententiam amplecti, dummodo per eam propagatio originalis peccati explicetur.

Traducianismo grave vulnus inflictum fuit in Concilio Lateranensi V.° sub Leone X.°, in quo docemur = Animas *creari* et in corpora infundi =.

Operae pretium est Scholae doctrinam audire. S. Thomas 1. P. q. 118 a. 2 quaerit, = utrum anima intellectiva causetur ex semine =, et respondet, dicendum, quod impossibile est, virtutem activam, quae est in materia, extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum. Manifestum est autem, quod principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam: habet enim operationem, in qua non communicat corpus, et ideo impossibile est, quod virtus, quae est in semine, sit productiva intellectivi principii. Similiter etiam, quia virtus, quae est in semine, agit in virtute animae generantis secundum quod anima generantis est actus corporis utens ipso corpore in sua operatione: in operatione autem intellectus non communicat corpus; et ideo impossibile est, quod virtus, quae est in semine, sit productiva intellectivi principii. Similiter etiam, quia virtus, quae est in semine, agit in virtute animae generantis secundum quod anima generantis est actus corporis utens ipso corpore in sua operatione: in operatione autem intellectus non com-

municat corpus; ideo virtus intellectivj principii, prout intellectivum est, non potest a semine provenire.... Similiter etiam anima intellectiva, cum habeat operationem vitae sine corpore, est subsistens.... et ita sibi debetur esse et fieri: et cum sit immaterialis substantia, non potest causari per generationem, sed solum per creationem. Ponere ergo animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud, quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo *haereticum* est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine. =

Thomae universa schola suffragatur.

Argumenta omnia, quibus *traducianismus* evertitur, ad haec revocantur: 1. Dotes animae, ut simplicitas, incorruptibilitas etc, prohibent, quominus dicatur, a corpore vel a materia proficisci; effectus enim non potest esse nobilior causa: substantia igitur spiritalis repeti nequit a substantia corporea. 2. Si anima generatione propagatur, vel propagatur ab anima, vel a corpore: a corpore nonnisi corpus propagari potest: si ab anima, vel tota vel pars animae propagatur; si tota, parentes anima destituuntur, et sunt ipsi filii; si pars tantum, de spiritualitate actum foret.

Animas creari, non generari, liquet ex citatis locis Scripturae, et nominatim ex Macab. II. VII. 22.: = Neque enim (sic mater Macab.) ego spiritum et animam donavi vobis etc. =

Patres confirmant. Clemens alex Strom. l. IV. = Coelitus admittitur anima. = Cesarius dial 3. = Organon homo gignit, animam vero Deus immittit. = Prudentius Apoth. adversus Ebionitas. = Non animas

animae pariunt, sed lege latenti.

Fundit opus natura suum, quo parvula anhaelent.

Vascula, vitalisque adsit scintilla coactis. ═

S. Leo epist. ad Turibium c. 10: ═ Catholica fides constanter praedicat atque veraciter, quod animae hominum priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab ullo incorporantur, nisi ab opifice Deo ═.

Coroll. Ex dictis consequitur, quod etsi tempore Augustini doctrina, quae tenet, animam creatam esse ex nihilo, non fuerit prorsus universalis et dubitationum omnium expers, tamen temporis progressu, et nominatim media aetate certissima evasit, et nunc doctrina catholica jure merito appellari potest. (Civiltà catt. 19 Marzo 1864).

Scholion 1. — Non est hic silentio praetereundus quorundam catholicorum nostrae aetatis conatus, qui *traducianismum* alia quadam ratione restaurare conantur. Primus est D. Frohschammer professor Universitatis Monaci Frinsing., qui anno 1854 librum edidit, cui titulus ═ de origine animarum humanarum, defensio Generatianismi. ═ Ipse negat, quod Tertullianus tradiderat, nempe animam generari nescio quo semine corporeo sive incorporeo; deinde statuere nititur, animas creari ab animabus parentum, sicut corpora a corporibus generantur. Affirmat, distinguendum esse in homine *personalitatem* a *substantia*, et dicit hanc *vi propria* animas producere, non tamen sine *personalitatis* concursu: ipse generationem vocat creationem, quatenus producitur, quod antea non erat, unde *generatio est actus creativus humanae naturae, seu creatio*

ex nihilo, quam operatur potentia creatrix obnoxia humani generis, quam Deus humanitati contulit. =

Verum haec doctrina *a*) ducit in ipsum traducianismum Tertulliani — *b*) perperam confundit generationem cum creatione — *c*) tribuit vim creatricem causis secundis, quod apud catholicos inauditum est, et ab omnibus repudiatur — *d*) opus Frohschammer in Indicem relatum est anno 1861, et Pius IX in Brevi anni 1862 11. Decembris dato ad archiepiscopum Monaci et Frising. damnationem confirmavit.

Scholion 2. Antonius Rosmini (psicologia) docet, animam humanam a parentibus generari, quatenus *principium sentiens*, sicut in caeteris animalibus, multiplicatur, et rationalis fit statim ac illi idaea entis manifestatur. — Aliis verbis: in anima humana duplex elementum distingui debet, *subjectum* seu *animans*, quod generatur et multiplicatur; *objectum*, quod generari non potest, et est quiddam divinum, est idaea entis, qua anima fit intellectiva. —

Huic sententiae philosophia et theologia refragari videntur 1. Si anima ut *sentiens generatur* a parentibus, habetur vel divisio animae parentum, quod absurdum est, vel creatio prouti eam explicat Frohschammer, cujus doctrina reprobata est: — 2. anima vivens, vegetalis, quae generatur, fieret intellectiva ob manifestationem ideae entis; videretur igitur anima humana substantialiter non esse *intellectiva* vel *rationalis*, et confundi cum animabus belluinis. V. Thomam 1. p. q. 118 art. 2. — Vide la Civiltà cattolica 4 Giugno 1864. Klentgen philosophia antiquorum Münster 1863. —

Scholion. 3. Quamvis confitendum sit, ut scribit Thomas q. 118 a. 3. = quod animae non sunt creatae ante corpora, sed simul creantur, cum corporibus infunduntur =; tamen quaeri potest quando in corporibus infundantur.

Augustinus (in Exod. q. 75), Theodoretus, Cyrillus Alex. (de Adorat in spir. et ver. XV°) et scholastici arbitrati sunt, animam corpori conjungi posteaquam foetus formatus fuerit, et ad animam suscipiendam comparatus. Quae sententia scriptoribus effemer. La Civiltà Catt. maxime arridet, quemque non improbabilibus argumentis roborarunt (6 Agost. 1864.).

At Efrem de inspirat. Nyssenus in Cant. hom. VII^a^, VIII^a^ et alibi, Gennadius cte., existimant, verius esse animam creari et infundi ipso conceptionis momento. Huic opinioni theologi plures et philosophi recentiores adstipulantur, ut Kergaradec, Fredault, Coudin, universitates Viennensis, Pragensis, Remensis, Salmaticensis etc. Sorbona hanc sententiam declaravit *indubitatam*.

En quaedam argumenta phisiologica: 1.° Forma substantialis cujusque naturae cum ipsa conjungi debet statim ac natura esse incipit: anima autem est forma substantialis corporis etc. Ergo. 2.° Non videtur consentaneum admittere aliud esse principium *formans*, et aliud *informans*: porro si anima non existeret a principio, principium *formans* esset anima matris, principium *informans* anima deinde creata et infusa, quae primam veluti expelleret, quod incongruum omnino videtur, etsi effem. La Civiltà Catt. hoc argumentum pro nihilo habeat. = 3.° Cum principium informans, quod postea supervenit, possit jam inde a principio corpus formare,

nulla est ratio cur aliud dicatur esse principium *informans* et aliud *foamans*. = 4,° Idaea generationis, paternitatis et maternitatis huic sententiae melius respondere videtur. 5.° Generatianismi difficultates facilius explicantur.

Schol. 4. — Errat Klee, qui hanc opinionem tribuit scholasticis, et nominatim s. Thomae p. 220 St. dei dogmi vol. 1.; sed falso omnino, com Thom. contrariam propugnet doctrinam. (De Poten. a. 12 q. 3 — De generat. et corrupt. lect. 7.).

Thes. VI.ª Quod ad animam spectat, de fide tenemus, eam esse immortalem.

D. Scipturae ss. immortalitatem ubique tradunt docentes, justos cum Deo semper vitam beatam acturos, malos igne aeterno cruciandos, corpus solvi, animam coram Deo sisti, corpus occidi, animam vero occidi non posse, etc.

Animae incorporeitatem adeoque immortalitatem docuerunt Patres, ut Eusebios (in Luc. XII° 24), Nemesius (de nat. hom. c. 2.), Basilius (in hom. attende tibi n. 7), Nyss. (de anima et resurrect.), Chrysos. (in Gen. hom. 21.), Ir. l. 5, qui scribit = animam non mori, sed carnem =, Augustinus (de Civ. Dei l. VIII.° 5 etc.) etc.

Omissis symbolis, et argumentis philosphicis, quae in scholis evolvi solent, satis est observasse, quod animae immortalitate in dubium revocata, tota religio penitus corrueret, ut ex se patet.

Schol. 1. Saec. XV.° et XVI.° philosophi quidam novitatis libidine omnia sophistica subtilitate ventilantes, ausi sunt affirmare, negari posse animae immortalitatem; inter quos eminet Pet. Pomponaccius (tract. de immort-

an.). At Conc. V.° Later. sess. 3. et alibi hunc errorem proscripsit. = Cum diebus nostris, sic Conc., nonnulli ausi sint dicere de natura animae rationalis, quod mortalis sit, et aliqui temere philosophantes, secundum saltem philosophiam verum esse asseverent, sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse =. Ex quibus verbis duo colligimus: 1° animam immortalem esse: 2° Etiam juxta philosophiam hoc probari posse. —

Schol. 2. Patres illi, qui dicunt, vel animam corpoream esse, ut Tertull. (de anima V.°) Methodius (ap. Phot. cod. 234), vel esse immortalem gratia divina (Tatiamus et Justinus), vel qui dubitarunt, ut Origenes etc. non aegre ad catholicam fidem revocari possunt: nam si animam dicunt corpoream, non simplicem etc., intelligunt non *absolute*, sed *prae substantia divina.* Qui dicunt, animam immortalem esse gratia divina, non negant, eam esse immortalem etiam *natura*, et loquuntur de immortalitate *beata*, *supernaturali*, etc. Qui dubitare videntur, non *simpliciter* dubitant, sed de quibusdam angumentis, quibus immortalitas probatur, vel significare volunt, philosophiam non ita demonstrare immortalitatem animae, ut *practice* sufficiat, ut omnes omnino homines hanc veritatem perspicue assequantur.

Quidam quaerunt, utrum certitudo de absoluta animae immortalitate post mortem ex sola *philosophia*, vel ex *revelatione* petenda sit: arbitramur cum Nicolao Spedalieri, eam ex sola philosophia demonstrari posse.

TRACTATUS

De ordine supernaturali naturali e praeternaturali.

Haec tractatio in duo capita dividetur: I. De existentia duplicis ordinis naturalis et supernaturalis in genere: II. Germana triplicis ordinis idea statuta, praeposterae incredulorum et haereticorum notiones repelluntur.

CAPUT PRIMUM

De existentia ordinis naturalis et supernaturalis in genere.

Thesis I.ª Proposita sensu quodam lato notione *naturalis* et *supernaturalis ordinis*, tuemur, partitionem in ordinem naturalem et supernaturalem *philosphice* demonstrari.

Ambitu *naturalis ordinis* catholici omnes comprehendunt id, quod res sunt, earum spectata *natura*, et id, quod facere possunt insitis sibi viribus: vocabulo autem *supernaturalis ordinis* intelligunt id, quod creaturae quidem habent vel habere possunt, sed non constituit ipsam naturam, neque ex ipsa natura profluit, neque natura ex se facere potest. — Huic notioni consonae sunt, quae occurrunt apud philosophos et theologos catholicos, ex. gr. apud Ravignan (Conf. 51) — Superna-

turalis ordo, sic ipse, philosophice definiri potest: id, quod vires naturae excedit, seu id, quod nullo jure, nullaque ratione tum *intrinseca* tum *extrinseca* naturae debetur =. Et propius accedens ad notionem theologicam, pergit: = Hinc apparet, supernaturalem ordinem nihil aliud esse, quam *peculiarem* et *penitiorem conjunctionem* vel *habitum* cum ipso Deo =.

S. Thom. 1. 2. q. III.ª a. 12 ad rem nostram praeclare scribit = Gratia . . . . (supernaturalis ordo) excludit rationem debiti. Potest autem intelligi duplex debitum, unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam . . . . Aliud est debitum secundum conditionem naturae, puta si dicamus, debitum esse homini, ut habeat rationem, et alia, quae ad humanam pertinent naturam. Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc, quod Deus obligetur creaturae, sed potius in quantum creatura debet subjici Deo, ut in ea divina operatio impleatur, quae quidem est, ut talis natura tales conditiones et proprietates habeat, et quod talia operans talia consequatur. Dum igitur naturalia carent primo debito (idest meriti), non autem carent secundo (naturae): sed supernaturalia utroque debito carent =.

Nequit lucidius declarari doctrina catholica circa naturalem et supernaturalem ordinem. (Cf. Martin. de Ripalta — de ente supernaturali etc. — Matignon - Quaestio de supernaturali - Parisiis - 1863).

Naturalis et supernaturalis notione generatim explicata, quae postea luculentior evadet, existentiam prioris ordinis *philosophice* ostendimus. Et sane:

1.° Quisquis Deum esse concedit, illico fateri debet, Deum infinitum, sapientissimum, omnipotentem, etc. tum

sua *essentia*, tum *sapientia*, tum *potentia* substantias omnes creatas excedere, quamcumque creatam sapientiam et potentiam supergredi: concessa igitur Dei existentia, necessario supernaturalis ordinis *idea* et *objectiva existentia* consequitur.

2.° S. Thomas, data opera, sic arguit =: Est in his, quae de Deo confitemur, duplex veritatis modus. Quaedam . . . omnem facultatem humanae rationis excedunt, ut Deum esse trinum etc. . . . . Quaedam vero sunt, ad quae etiam ratio naturalis pertingit, sicut est, Deum esse, Deum esse unum etc. Quod autem sint aliqua intelligibilium divinorum, quae humanae rationis penitus excedant ingenium, evidentissime apparet . . . . Cum enim principium totius scientiae, quam de aliqua re ratio percipit, sit intellectus substantiae ipsius . . . . oportet, quod secundum modum, quo substantia rei intelligitur, sit eorum modus, quae de re illa cognoscuntur . . . . Quod quidem nobis circa Deum non accidit; nam ad substantiam ipsius capiendam intellectus humanus non potest naturali virtute pertingere, cum intellectus nostri secundum modum praesentis vitae cognitio a sensu incipiat . . . . Sensibilia autem ad hoc ducere non possunt intellectum nostrum, ut in eis divina substantia videatur quid sit, cum sint effectus causae virtutem non aequantes =.

3.° Ex intelligibilium gradibus idem est facile videre. Duorum enim, quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intueatur, ille, cujus intellectus est elevatior, multa intelligit, quae alius omnino capere non potest: sicut patet in rustico etc.; intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi

philosophi intellectum rudissimi idiotae etc. Cognoscit quidem angelus Deum ex nobiliori effectu, quam homo (scilicet ex ipsa substantia angelica) . . . . . . multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum . . . . Sicut igitur maximae amentiae esset idiota, qui ea, quae a philospho proponuntur, falsa esse asseveraret propter hoc, quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea, quae . . . . . divinitus revelantur, falsa esse suspicaretur ex eo, quod ratione investigari non possunt. =

4.° Idem manifeste apparet ex defectu, quem in rebus cognoscendis quotidie experimur. Rerum enim sensibilium plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus: multo igitur amplius proprietates illius excellentissimae substantiae transcendentis omnia intelligibilia humana ratio investigare non sufficit =.

5.° Huic veritati S. Scriptura testimonium perhibet: dicitur enim Job. XI.° 7 = Forsitan vestigia Dei comprehendes, et omnipotentem usque ad perfectum reperies? etc. (S. Thom. c. gent. l. 1. c. 3) =.

Quae quidem argumenta divi Thomae etsi *directe* nonnisi existentiam veritatum *supernaturalium* probent, *indirecte* tamen et invicte supernaturalis *ordinis* existentiam in genere demonstrant. Quibus argumentis haec alia duo addi possunt, scilicet:

1.° Suffragium incredulorum omnium, qui supernaturalem ordinem eliminare vellent: ex gr. Bayle (Répons. au Prov. ouvres tom. 3 p. 778 etc.) David Hume (Essai sur l'entend. humain p. 320) La Metrie (Traité de l'ame c. 10 et 16) Rousseau (Emil. t. 3 p. 88), Rénan

(Le livre de Job, ètud. prelimin.) Proudhon (la guerre et la paix, chap. IIe), qui omnes alia atque alia ratione ordinem supernaturalem admittere coguntur.

2.° Denique accedit populorum omnium consensio, qui supernaturalia foenomena constantissime fassi sunt, tum in ordine phisico, ut miracula, tum in ordine psicologico, ut prophetias, virtutes, etc. tum in ordine teleologico, in altera vita, tum in ordine intellectuali, etc. Ergo indubitatum est, existere ordinem rerum, veritatum, foenomenorum, quae humanas omnes vires praetergrediuntur (V. Matignon l. c.)

Coroll. Ergo, etiamsi ordo supernaturalis *de facto* non esset institutus, nihilominus sola ratio ejusdem existentiam *objectivam*, et *possibilitatem* institutionis demonstraret.

Thes. II.ª Partitio in ordinem *naturalem* et *supernaturalem de facto existentem* a nemine qui catholicus sit negari potest.

D. Patres, et scriptura, universaque historia ostendunt *supernaturalem ordinem naturali de facto* fuisse superadditum. —

Leontius Bizant. (l. 2. De Sectis) distinguit tria principia operationis, primum *naturale*, alterum *contra naturam*, tertium *supernaturale* =. Damasc. l. 3. c. 13 et alibi, loquens de liturgica operatione, dicit, esse super naturam, supra id, quod intelligi cogitarique potest =. Idipsum affirmat de partu Virginis, de miraculis Christi etc. — Cyrillus Alex. in Jo. 1. 7 = Per Christum ad dignitatem supernaturalem evecti sumus, ut qui natura censemur, supernaturam, et per gratiam secundum quandam imitationem Filii Dei praestantiam nanciscamur . . . .

Vocavit nos in adoptionem filiorum Dei, exuta propriae naturae vilitate, gratiae patrocinio ad supernaturale decus elevamur etc. = Hic perspicue naturalem ordinem inter et supernaturalem discrimen assignatur.

Idipsum colligimus ex patribus illis, qui docent, dona Dei, quibus homo justificatur, naturalia vocari non posse: sic Augustinus c. 5 de praedest. et Prosper c. collatorem c. 25 et Arausicanum II.^{m} can. 5., ubi damnat eos, qui contendunt, *fidem salutarem Deo revelanti praestitam, naturae viribus debitam esse.*

Praeterea confirmatur distinctio supernaturalis et naturalis ordinis ex patribus illis, qui primum ut *adscititium* repraesentant, ut quid additum naturae, eamque perficiens. Basilius de S. S. c. 16 = Virtutes coelorum non natura sanctae sunt =, et alibi ait: = *Novam* per sanctificationem, *quae extra substantiam* ipsorum est, illis perfectionem afferri communicatione spiritus etc. = Rursus = Non in hominis potentia, aut sapientia, sed in Dei gratia consistit salus =. Cyrillus alex. de ador. = dona gratia hominibus collata vocat = *υπερκοσμοι* et per gratiam homines *transmutantur* etc. =

Hieron. 2. dial. c. Pelag. ait: = Perfectio hominis non ex *natura*, sed ex *gratia* provenit =. Quibus omnibus locis Patres sedulo distinguunt, quod est *proprium* sive hominis sive angeli, et id, quod supervenit, quodque ex benignitate et voluntate Dei repetendum est, quod amitti potest etc., quodque supra hominis vel angeli vires est etc.

Idipsum roboratur ex vulgatissimio illis Patrum et Scripturae locutionibus = homines deificantur, filii Dei

constituuntur, participes, consortes divinae naturae facti, Deo similes etc. = Dicuntur Deo conjuncti, regeniti, reconciliati Deo, transformati, novae creaturae, portatores Christi, Dei, templa Dei etc.

Schola universa duplicem ordinem naturalem et supernaturalem semper cognovit et fassa est, ut patet ex Thom. l. c. et innumeris aliis, ex Petro Lomb. distinct. 13., Anselmo de concord. praescientiae etc. et ex theologis omnino omnibus. Quam distinctionem Tridentinum multiplici ratione indicavit et propugnavit contra protestantes, potissimum in sess. 5 de peccato orig. et 6.ª de justificatione. Satis sit ob oculos habere can. 1 = Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit = cf. can. II. III. IV. etc. Quibus canonibus Patres Trid. toti in eo sunt, ut ostendant, hominem gratiam justificationis, adoptionem filiorum Dei suis viribus adipisci non posse: ergo adoptio, justificatio etc. non est opus humanum, proprietas naturae, conditio naturae debita, sed donum supra naturam, ejus vires longe excellens.

Duo igitur probata manent: 1.° distinctio utriusque ordinis, naturalis scilicet et supernaturalis: 2.° historicum factum instituti ordinis supernaturalis.

Coroll. Hinc apparet nexus inter rationem et fidem, philosophiam et theologiam: ratio et philosophia demonstrant: 1.° existere, 2.° institui posse ordinem supernaturalem, 3.° historice institutum esse, 4.° eique hominem simul ac innotuerit se subjicere oportere. Fides et theologia singula dogmata et praecepta credunt, in-

vestigant, probant ex fontibus propriis, illustrant, defendunt, ordine disponunt, etc.

Thes. III.ª Partitio in ordinem naturalem et supernaturalem clarior et perfectior evadit, si alter ordo, qui *praeternaturalis* audit, addatur.

Quamquam partitio supra exposita in ordinem naturalem et supernaturalem plena et absoluta sit, nihilominus perspicuitati non parum inservit tertium ordinem veluti medium addere, qui commode praeternaturalis appellari potest.

Inter extrema utriusque ordinis naturalis et supernaturalis bona quaedam existunt, quae hinc naturae propria censeri nequeunt, inde vero eam ornant et perficiunt, et quorum radix et germen in ipsa natura continetur: unde praeternaturalia bona non incongrue appellantur. Ex. gr. immortalitas corporis Adamo concessa inter praeternaturalia dona recensenda esset, quia duratio quaedam vitae corporali naturae debetur, sed ipsius jugis duratio naturae vires excedit: idem dicendum foret de immunitate a concupiscentia ec., a doloribus phisicis etc.

Triplex igitur, ut observat Franciscus Suarez, exurgit ordo, videlicit naturalis, supernaturalis et praeternaturalis, qui tertius ordo non est *absolute* necessarius, quia in supernaturalem recidit, sed ad tractationis perspicuitatem non parum conferre videtur, ut ex dicendis apparebit.

Scholion. Solent quidam theologi bona *supernaturalis* ordinis in triplicem classem partiri, scilicet *ontologica* (sunt gratiae gratis datae), *sanctificantia* (gratia gratum faciens, charitas etc.), et *eudaemonica* (visio Dei ejusque fruitio etc.)

CAPUT SECUNDUM

Praeposterae teoriae circa distinctionem inter naturalem et supernaturalem ordinem rejiciuntur.

Thes. IV.ª Rationalistae (Pressensè hist. trium priorum saec. ecclesiae t. 1.° p. 367, et alibi) pervertunt caracterem ordinis supernaturalis, quando definiunt = *naturale* id, quod sensibus et experientiae subest: *supernaturale* vero illud appellant, quod sensus et experientiam fugit =.

D. Haec descriptio *supernaturalis* et *naturalis* respuenda.

1.° Quia est nova et prorsus inaudita.

2.° Quia repugnat ipsis rerum naturis; plura enim sunt sensibus obnoxia et supernaturalia, ut miracula omnia etc., et plura sensus et experientiam fugiunt, quae tamen naturae finibus continentur, ut animae rationales et brutorum, substantia angelica etc.

3.° Quia hac concessa definitione, criterium a majoribus institutum subvertitur, quo tenemus, id *supernaturale*, quod est super naturam sive sit visibile, sive sit invisibile; id *naturale*, quod limites naturales non praetergreditur, sive sit sensibus obnoxium, sive sensus fugiat.

Scholion 1. Item falsa est definitio Franck (de certitud. in introd.), qui arbitratur, supernaturale nil aliud esse, quam *imaginationis praedominationem*, unde, ratione paullatim praevalente, *supernaturale* evanescere necesse est. Notio enim *supernaturalis* apud philosophos et theologos christianos in eo sita est, ut res vel doctrina

supernaturalis sit *vere* et *objective* supra vires naturae, minime autem effectus ignorantiae.

Scholion 2. Gemina est et definitio Ernesti Rénan (studia hist. relig.), qui id omne supernaturale dicit esse, quod nondum intelligitur, sed pendet ab immutabilibus naturae legibus.

Thes. V.ª Neque minus perperam supernaturalis ordinis characterem illi pervertunt, qui affirmant, id esse *naturale*, quod *immediate* per caussas secundas perficitur; et id *supernaturale* dici, quod *immediate* ab ipso Deo producitur.

D. Hoc alterum criterium quorundam rationalistarum repudiari debet, siquidem:

a) Constat quaedam *immediate* a Deo producta esse naturalia, ut creatio animae, conservatio etc. et quaedam *mediate* a Deo facta, quae profecto in censu supernaturalium haberi debent, ut sacramentorum collatio, verbi Dei enunciatio etc.

b) Hoc criterium non desumitur ex rerum naturis, sed ex externo quodam indicio.

c) Ignotum est antiquitati christianae et arbitrarium.

Thes. VI.ª Praepostere Bajus tanquam normam statuit, ea esse bona *non supernaturalia* sed *naturalia*, quae *originem* et *nativitatem* comitantur.

D. Sententia Bajana (quae confunditur cum Lutherana, Calviniana et Jansenistica) docet, id esse *naturale*, quod cum ipsa *natura conjunctum* est in ipsa origine: *supernaturale*, quod cum natura ab initio non est conjunctum, sed postea superadditur.

Hanc naturalis et supernaturalis ordinis idaeam Bajus et protestantes ab Augustino se mutuatos esse glo-

riantur, qui (Retract. l. c. 10. 15 et aliis plurimis locis) affirmat, *veram et proprium naturam humanam illam esse, quae fuit a principio.* Ergo, ait Bajus, id *naturale* erat, quod homo ipso originis tempore habuit, *supernaturale*, quod postea additum est.

Falsa et haeretica est haec doctrina. Sane:

1.° Peccat definitio Bajana, utpote quae est *per exclusionem*: definitio enim vera et plena ea est, quae rem circumscribit et repraesentat, et quid sit dicit: definitio *per exclusionem* nos docet, quid res non sit, non vero quid sit in seipsa.

2.° Bajus rem cum vocabulo confundit: natura enim (graece *φυσις a φυω*) significat id, quod res vel substantia aliqua nascendo habet, quin consideretur rei vel substantiae indoles, utrum quae possidet debeantur necne: posset enim in ipsa origine ea possidere munera, quae non debentur, quaeque supernaturalia sunt; vel ea tantum possidere, quae necessario cum natura devinciuntur: basis itaque seu principium, cui Bajana sententia innititur, gratuitum est et falsum.

3.° Confundit *jus* cum *facto*; nam ex eo quod Deus a principio homini et angelo quaedam contulerit, illico concludit: ergo naturae debebantur, et naturalia sunt. Quid vetat dicere, Deum ab initio una cum natura ordinem supernaturalem statuisse, ut illa non praecesserit ne uno quidem temporis momento, et homines et angelos in duplici simul statu naturali scilicet et supernaturali condidisse?

4.° Bajana sententia universae christianae traditioni repugnat, quae nunquam hoc criterium proposuit, sed quod supra indicavimus.

5. Damnata est iterum atque iterum a Pio V.; Gregorio XIII., Urbano VIII., Clemente XI. etc prop. 21 Baji: = Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae *debita* fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et *non supernaturalis* = (V. prop. 23. 24. 79): prop. 35 Quesnelli: = Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturae sanae et integrae. =

Si igitur de fide est, non omnia quae primus homo in ipsa sua origine habuit, naturalia esse, consequens fit, falsum et haereticum essa criterium Baji et aliorum, qui statuebant, ea omnia esse naturalia, quae originem et nativitatem comitantur.

Bajani, Jansenistae, Protestantes etc. ut hanc haereticam doctrinam tueantur, provocant ad Patres, et nominatim ad plura loca Augustini, ad rationem etc.: at eorum praecipuas difficultates diluemus, ubi de statu primi hominis disserendum erit.

Coroll. Liquet quod judicium ferendum sit de opinione Alaux (de nova forma panth.), et Schmit (Recens. Lovan. Aug. 1858); quorum prior dicit, nunc *naturam* proprie *naturae corruptionem* significare; et *supernaturale esse priscae* et *verae naturae renovationem*. Alter vero statuit, id supernaturale esse, quod deficienti naturae supplet, unde natura indigeret *supernaturali*, tanquam elemento, sine quo esse non posset. — Hae duae sententiae continent errores omnes Baji, Jansenii, Protestantium, etc.

Thes. VI.ª Item et Jansenius proprietatem supernaturalis doni evertit, docens: = pugnare illam quidem

cum debito ex operibus, sed componi cum debito quod ex insita conditione naturae dimanat. =

D. Doctrina Janseniana huc redit: — quamvis bonum aliquod naturae debeatur necessario, potest tamen esse *supernaturale*, dummodo natura bonum ipsis operibus non meruerit. Quapropter gratia sanctificans, juxta Jansenium, debetur necessario naturae, sed est *supernaturale donum*, quia homo operibus eam mereri non potest. —

Haec doctrina, sicut et Bajana, repudianda est. Namque:

1.° quod naturae debetur, adeoque quod naturam constituit, et sine quo natura manca et mala foret, nonnisi verbo tenus *supernaturale* foret, sed revera naturale dicendum esset.

2.° Pelagiani asserebant, bona naturae, ut intellectus, liberum arbitrium etc. posse appellari gratiam, et propterea recenseri inter bona supernaturalia; sed Patres Charthaginenses et Millevitani ep. ad Innoc. 1., Augustinus serm. 2. de verbis Apost. c. de gestis Pelagii c. 23 etc. docent, liberum arbitrium et alias dotes naturales dici posse *improprie gratiam* (idest dona *supernaturalia*), sed non sensu *proprio ecclesiastico* et *biblico*: negant igitur bona naturae esse vere supernaturalia: atqui Jansenius idem defendit, cum affirmat, bona debita naturae posse esse supernaturalia: ergo. (Conf. August. ep. 55.).

3.° Sic arguimus *ad hominem*: *supernaturale* illud non est, quod operibus debetur; multo minus supernaturale erit, quod naturae debetur: *debitum* enim naturae *debito* operum longe majus est. Praeterea:

4.° Si natura jus habere potest ad id, quod est *supernaturale*, adeoque plena proportio statuitur inter *naturam* et *supernaturale*, intelligi nequit, cur opera, quae ex natura proficiscuntur, ad *supernaturale* adipiscendum paria censeri non debeant.

5.° In sententia Janseniana, sicut in Bajana, vocabula et ideae turpiter permiscentur: *supernaturale* enim dicitur, quia *vires naturae excedit*, non autem quia meritum tantum operum superat.

6.° Haec Janseniana sententia in Ecclesia Christi per sexdecim saecula ignota fuit.

7.° S. Thomas, et cum eo theologi omnes catholici, gratiae, seu supernaturalis ordinis characteres in eo collocant, ut sint supra opera simul et supra naturam. S. Doctor 1. 2. q. III. a. 1. ad II. distinguit duplex debitum, hoc est, debitum *ex merito, seu opere* proveniens (personale), et debitum secundum *conditionem naturae,* et pergit: = Neutro autem modo dicitur debitum propter hoc, quod Deus creaturae obligetur, sed potius in quantum creatura debet subjici Deo, ut in ea divina operatio impleatur; quae quidem est, ut talis natura tales conditiones vel proprietates habeat, et quod talia operans talia consequatur. Dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito. Sed dona *supernaturalia* utroque debito carent. =

Ergo id supernaturale est, quod non solum non debetur meritis vel operibus, ut affirmat Jansenius, sed quod non debetur naturae, ejusque vires vel conditionem excedit.

Coroll. 1. Duplex igitur habetur debitum; alterum naturae, ut ex. gr. habere rationem etc.: alterum

ex divina voluntate, quatenus Deus ex promissione ad aliquid conferendum tenetur: sic nunc tuemur, Deum rite se disponentibus gratiam conferre; sed hoc debet Deus non exigentiae naturae, quae est sententia Janseniana, sed sibimetipsi suaeque fidelitati.

Coroll. 2. Duplex habetur gratuitum, hoc est *naturale* et *supernaturale*, alterum respondens Deo creanti, alterum Deo elevanti; illud dicitur sensu lato, philosophico; hoc sensu presso et christiano; primo constituitur natura, secundo constituitur ordo supernaturalis etc (Conf. Thom. l. c.).

Jansenius

Opp. 1. Paulus ad Rom. XI. 6. = Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia non est gratia. = Ergo, ut donum aliquod *supernaturale* sit, sufficit, ut operibus non debeatur.

R. 1. Paulus hoc non dixit, sed dicit Jansenius. 2. Imo Paulus affirmans supernaturale operibus non deberi, implicite affirmavit etiam non deberi naturae, ut supra innuimus. 3. Paulus ubique constanter dona *supernaturalia* repetit, non ex necessitate vel debito naturae, sed ex divina bonitate. Ergo. 4. Paulus praesertim prioribus capitibus ad Romanos totus in eo est, ut ostendat, tum Judaeos, tum gentiles nullum omnino habere jus ad filiorum Dei adoptionem accipiendam.

Instat 2.° ex Augustino, qui plurimis locis scribit: gratiam seu ordinem supernaturalem non deberi meritis, pugnare cum operibus etc.

R. Eadem responsio ut supra quoad locum Pauli. Praeterea Augustinus refellit Jansenium, ubi gratiam vel ordinem *supernaturalem* dicit gratuitum *omnino*; ubi distinguit

merita *naturae* et merita *operum*, et affirmat simpliciter nullis meritis deberi. Ergo. (cf. l. 16. c. 5. cont. Faust. — cont. Secundin. c. 10 — con. Manich. l. II.° c. 15 — de lib. arb. l. III.° c. 24. — e retract. l. 1, c. 9. etc.

Opp. 3.° Augustinus centies dicit, gratiam seu *supernaturalem ordinem* constituere naturam, et naturam sine gratia malam esse etc. (ep. 105. serm. 10. etc.).

R. Imo Augustinus hoc damnat in Pelagianis ep. 194, — 179, serm. 26 n. 57 et alibi: negat esse *gratiam naturam* sensu evangelico et theologico etc. Et si quandoque Augustinus dicit, naturam malam esse sine gratia, hoc affirmat de natura in ordine *historico* considerata, non autem de *natura* in se *ipsa spectata*, quod et nos damus, imo defendimus.

Opp. 4.° Ipsi theologi dicunt, gratiam sufficientem omnibus deberi: ergo supernaturale esse posset donum quamvis debitum. Ergo.

R. Debetur omnibus vi naturae, N.; ex promissione divina, C. — Caetera argumenta omittimus.

Thes. VII.ª Denique cum Bajanis inter notas et proprietates boni supernaturalis referri non debet *positiva indignitas* creaturae, cui a Deo confertur.

D. Michäel Bajus tuebatur, naturam humanam et angelicam malam esse sine gratia, et proinde inferebat, gratiam seu elevationem supernaturalem debitam et naturalem esse: supernaturalem autem dici posse, quatenus haec elevatio subjecto pessime merenti, seu peccatori tribuitur. Supernaturalis igitur ordinis ratio in eo esset, quod subjectum elevandum male se gessit.

Haec theoria supernaturalis ordinis characterem destruit, et repudianda est.

1.° Angeli donis supernaturalibus decorati sunt, ut ex dicendis patebit: atqui angeli antequam elevarentur nihil mali gesserant: ergo.

2.° De fide est protoparentes gratia, aliisque donis supernaturalibus ornatos fuisse, ut infra ostendemus: atqui protoparentes non erant *positive indigni*, nullumque ante sanctificationem peccatum patraverant: ergo falsa est ratio supernaturalis a Bajo excogitata. =

3.° De fide est B. Virginem nullius peccati labe fuisse infectam, et ad nobilissimum omnium elavationis supernaturalis gradum evectam: ergo etc.

4.° Gratia unionis hypostaticae Christi humanitati concessa profecto supernaturalis credi debet, quamvis subjectum non fuerit, neque esse potuerit *positive indignum*.

5.° De fide est, perseverantiam finalem donum esse supernaturale a gratia santificante distinctum: porro hoc donum nonnisi justis confertur. Ergo.

6.° Patres et theologi catholici *supernaturalis* doni rationem in eo collocant, ut sit simpliciter supra naturam sive ea sit peccatrix, sive sit justa et sancta. Hinc:

7.° Damnata est propositio IX.ª Baji, quae sic jacet: = Dona concessa homini integro et angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundum usum S.ª Scripturae, nomine gratiae ea tantum munera intelliguntur, quae per Jesum Christum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quae illis redditur, gratia dici debet. =

Scholion. Etsi ratio *doni supernaturalis* ex diversitate subjecti peti non debeat, nihilominus dona supernaturalia aliter atque aliter se habent prae subjecto peccatoer

et prae subjecto peccati experte: quamquam enim elevatio seu adoptio filiorum Dei homini nullo peccato obstricto tributa, sit *supernaturalis*, eadem gratia peccatori collata, ut ita dicamus, *supernaturalior* est, siquidem benignitas Dei magis in secundo quam in priore splendescit. Ad rem Fulgentius l. 2. c. 3, ad Trasimundum =: Non alia gratia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quae lapsum hominem post ruinam reparavit: una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ut non caderet: ab hoc infirmitatem expulit, illum infirmari non sivit: illius esca, istius medicina. = Eadem igitur est ratio supernaturalis doni in lapsis et in stantibus. Cf. etiam Bernardum in Cant. 2.

Bajus opponit Augustinum, qui de correpț. et gratia dicit, vitam aeternam in Adamo et in angelis esse *mercedem meriti*, in homine *lapso* factam esse donum gratiae. Ergo.

R: Augustinus appellat mercedem meriti vitam aeternam homini innocenti collatam, donum gratiae lapsis tributam sensu supra explicato. Nulla enim alia explicatio haberi potest, nisi dicere velimus Augustino Augustinum adversari. Namque (*a*) Augustinus vocat vitam aeternam concessam etiam lapsis *mercedem* iterum atque iterum. (*b*) Pluries appellat donum gratuitum elevationem Adami et angelorum, ut apparet ex locis supra citatis.

TRACTATUS

de statu primi hominis.

Thes. I.ª Scripturae oracula ostendut, Protoparentes fuisse gratia sanctificante decoratos.

D. Praestituta theoria de statu supernaturali etc. reliquum est videre, utrum *historice* protoparentes ad ordinem supernaturalem fuerint evecti et quibus supernaturalibus charismatibus aucti.

Fides catholica profitetur, protoparentes gratia sanctificante locupletatos fuisse, et ita ad ordinem supernaturalem elevatos. Circa hoc fidei caput errarunt Pelagiani, protestantes omnes, Jansenistae et Bajani ita, ut licet pugnantes inter se, in unum convenerint.

Pelagiani enim negantes originale peccatum affirmabant, primum hominem fuisse creatum in conditione naturali, prout nunc nascitur, et solius naturae viribus salutem aeternam consequi posse. Protestantes omnes, Jansenius, Bajus, etc. docent, gratiam sanctificantem debitam fuisse, et naturam sine gratia esse non posse: hinc primus homo gratia sanctificante donatus, in sua naturali conditione collocatus est; at, peccato originali patrato, gratia amissa fuit, et ipsa natura ita corrupta est, ut jam non amplius sit natura, et nihil boni facere possit, omnesque

naturae actus totidem sint peccata. Pelagiani igitur, protestantes omnes, Jansenistae, Bajani in hoc conveniunt, ut dicant, statum primi hominis naturalem esse: qua posita sententia, tota christiana oeconomia circa gratiam ejusque necessitatem, gratuitatem, justificationem, meritum, liberum arbitrium, etc. confundatur et pervertatur necesse est. (Vide Bellarminum de gratia primi hominis c. 1.).

Nos autem ex Scripturis statuimus, protoparentes gratia sanctificante ornatos fuisse. Ephes. IV 23 seq. Coloss. III. 9. seq. = Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis = Expoliantes vos veterem hominem.... et induentes novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum. =

Ex quibus effatis colligimus: 1. Qui renovari jubetur fuit aliquando novus: cum autem renovatio in eo consistat, ut induamus hominem creatum secundum Deum in justitia et sanctitate veritatis, fuimus aliquando, idest in protoparente, justi et sancti. 2. Homo praesens dicitur vetus, ipsumque expoliare praecipimur, ut novum induamus ad imaginem illius, qui creavit illum ipsum novum hominem, idest Adamum: Adam igitur in eo statu constitutus fuit, ad quem Christus per redemptionem nos revocat: ergo.

Rursus in Genesi 1. 26. Adam dicitur factus ad *imaginem* et *similitudinem* Dei: Confer V. Sap. II. 23 Ecclesiast. XVII. Jacob III. 9. etc. in quibus Adam dicitur ad imaginem Dei ejusque similitudinem factus;

dicitur *rectus* etc. quae locutiones biblico sensu acceptae supernaturalem conditionem significant.

Praeterea S. Scripturae haec vocabula passim de homine loquentes usurpant: *regenerationem, reconciliationem, renovationem, restaurationem, redemptionem,* etc. Confer Rom. V. 15 seq. I. Timct II. 6 — I Corinth. VI. 26 — VII. 23 — Ephes. I. 10 = II. 1 — ad Hebr. II. 14 etc. — Liquet, his vocabulis significari secundam gratiae divinae collationem, secundam concedi Dei similitudinem etc. — Ergo aliquando homines sancti et justi fuerunt, scilicet in protoparente.

Accedunt Patres. Irenaeus l. III. 27 = Eam, quam habui a principio Spiritu Sanctitatis stolam, amisi per inobedientiam (Adami).... ut quod perdideramus in Adam, in Christo Jesu recuperaremus. =

Leo Magnus serm. 1. de jejunio = Quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo (Christo). =

Augustinus l. 13. c. 13 de Civit. Dei: — Mox ut praeceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente, omnino nudati in sua membra oculos injecerunt. =

Cyrillus alex. l. 2 in Joann. c, 3. = Fuit Adam in Paradiso, quousque gratiam creatoris, Spiritu S. inhabitante, servavit. = Basilius ad Anphil. de Spiritu S. = Per Spiritum Sanctum contigit restitutio in Paradisum, reditus in adoptionem filiorum Dei etc. =

Haec omnia testimonia eo pertinent, ut probent, hominem nunc per gratiam ad eum statum revocari, a quo Adam excidit: ergo Adam gratia sanctificante decoratus credi debet. Confer Cyprianum serm. 3. de bono patientiae, Ambrosium l. VI. Exem. c. 7, Nazian-

zenum de Paschate, Chrysostomum hom. 15 in Genes. etc.

Denique in promptu habemus solemnes ecclesiae definitiones. Arausicani Conc. II. c. 19, et praesertim Tridentini sess. V. Decreto de peccato orig. can. I. et II. = Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam perdidisse etc. anathema sit. =

Definitum igitur est, Adamum gratiam sanctificantem et justitiam a Deo accepisse, eamque peccato et sibi et nobis perdidisse. Ergo.

Thes. II.[a] Licet nulla sit definitio, explorata tamen veritas est, protoparentes uno eodemque tempore creatos et gratia locupletatos fuisse.

D. Apud omnes catholicos veritas est revelata et definita, Adamum fuisse gratia sanctificante ditatum: at non aeque certum est et definitum, quo tempore gratia auctus fuerit.

Quidam dixerunt, definitum esse in Tridentino, Adamum creatum simul et sanctificatum fuisse, innixi verbis c. 21 Sess. V. quibus Adam dicitur in gratia et sanctitate constitutus. — At, hoc est rem nimis urgere. Namque Concilium, instante Cardinali Pacecco (Pallavic. hist. l. VII. c. 9. n. 1.) vocabulum *creatum* mutavit, et alterum substituit, quod nunc legitur, *constitutum* (Can 1.), et hoc ad theologorum quaestiones vitandas fecit. Ergo Tridentinis Patribus non fuit mens, quaestiones dirimere.

Eruditissimus Duplessis D' Argentré collegit plures theologos saeculorum, a XII. ad XVI, qui putabant, Ada-

mum fuisse creatum et postea sanctificatum; hujusmodi sunt: = Bonaventura, Rupertus, Hugo etc.

At deinde paullatim sententia, quae tenet, protoparentes in ipsa creatione sanctificatos fuisse, ita praevaluit ut nunc ubique sola obtineat. Et revera, si monumenta inspirata et ecclesiastica perpendantur, nulla subesse potest dubitatio. Testimonia enim supra allata ex Genesi, ex Paulo, ex Ecclesiast. etc. dum probant supernaturalem hominis elevationem, probant etiam hanc factam fuisse in ipsa hominis orig.ne. Homo enim dicitur *factus ad imaginem et similitudinem Dei*, creatus *in justitia* etc. *factus rectus* etc. Neque aliter Patrum locutiones sonant: sane, ne unus quidem Pater dicit, hominem creatum et post aliquod tempus sanctificatum; sed fere omnes dicunt, *creatum in sanctitate. in supernis collocatum statim ac animam* accepit (Basilius): Deum dicunt fuisse in protoparentibus *condentem naturam et gratiam largientem* (Augustinus). Confer Nazianzenum l. c. Hieronymum Comm. in Ezech. 38 Damascenum l. 2. 12, Patres Arausicanos, qui affirmant, *humanam naturam in integritate conditam* etc. Confer s. Thomam 1. 2. q. 5. a. 1.

Coroll. 1. Cum Adam praeditus fuerit gratia sanctificante, habuit etiam *aliqualiter*, scribit Thomas, virtutes omnes (l. c. a. 3).

Coroll. 2. Hinc efficaciora videntur fuisse ad merendum opera primi hominis justi, quam nostra, *prae quantitate meriti* ex parte gratiae, quae copiosior erat, et etiam *prae absoluta quantitate operis*, quia major erat virtus ipsius. (S. Thom, l. c. a. 4).

THES. III.ª Inter dona protoparentibus collata, praelucentibus Scriptura et Patribus, numerari debet *integritas*, seu immunitas a concupiscentia.

D. G. II. 29 = Erat autem uterque nudus et non erubescebat. = Ergo Adam et Heva ante peccatum ab appetitu omnium vehementissimo immunes erant. Quod confirmatur ex iis, quae post peccatum de protoparentibus narrat sacer Textus. Confer etiam Rom. III. 8. seq. VIII. 15. coll. 12 sequent. = I.ª Joannis I. 16 etc, ex quibus eruitur, concupiscentiam esse peccati poenam.

Augustinus de Genesi ad litt. l. 2 et de peccatorum merit. et remiss. etc. scribit: = Quamvis (protoparentes) corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se sentiebant, etc. hinc et nudi erant, et non confundebantur =. De Civ. Dei l. XIV.º 17: = Sciebant, se nudos esse, sed nuditas nondum erat turpis, quia nondum libido praeter arbitrium commovebat . . . . non coeci creati erant, ut vulgus credit.... patebant oculi, sed non ad hoc patebant. =

Chrysostomus in Gen. hom. XV. = Usque ad praevaricationem quasi angeli versabantur in Paradiso, non fragrantes concupiscentiis, sed prorsus incorruptibiles: neque indigebant, amictu neque erubescebant quia gloria superna veluti amictu induti erant. = Caeteros Patres omitto.

Satis sit ob oculos habere doctrinam Tridentin. Patrum, qui Sess. V. can. V. definiunt in baptizatis tolli id totum, quod habet rationem peccati, manere tamen concupiscentiam vel fomitem ad agonem etc., ubi adsigni-

ficatur, in protoparentibus concupiscentiam non viguisse. Confer etiam Thomam q. 95 a. 2. —

Coroll. — Pervertit obvium Scripturae sensum, et universae traditioni refragatur Clericus, cui neoterici biblici rationalistae subscribunt, quando affirmat, quae de immunitate concupiscentiae in Adamo dicuntur, methaphorica esse, et Moysen voluisse indicare, protoparentes ut infantes modo natos fuisse, quibus ob mali ignorantiam non est nuditas pudori.

Thes. IV.ª Cum dono integritatis Deus conjunxit *praeclaram quandam rerum notitiam.*

D. Scientia Adami singularis et praeclarissima fuit. Etenim Eccles. XVII. 6 legimus = Creavit illis (protoparentibus) scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis. = Confirmatur Genesi II. 19. seq., ubi dicitur Adam animalibus omnibus proprium imposuisse nomen, ut eorum natura postulabat. Confer Genes. 1. 11. 23. 24, ubi Adam exhibetur, ut scientia divinitus infusa donatus, cum intuens Hevam exclamavit: = Hoc nunc os ex ossibus meis etc. Ps. 71 - 5, 6 etc. Sap. etc.

S. Thomas 1. 94 a 3. hoc ipsum probat triplici argumento: 1. Sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus.... ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad *animam*... — 2. Debebat alios instituere; ergo ipse debuit ab ipso Deo institui, *in quibus homo natus est instrui* — 3. Cum vita hominis ordinetur *ad finem supernaturalem*, *tantam scientiam accipere debuit*, *quanta erat necessaria ad gubernationem vitae humanae secundum statum illum.*

Addi possunt aliae observationes, cujusmodi sunt sequentes:

a) Si Deus statim supernaturali ratione Adamum non instituisset, nimis longo tempore ipse ignorantia laborasset.

b) Sicut extraordinaria erat potestas et officium Adae, ita et scientia.

c) Praeterea sicut dona, quibus illum Deus cumulavit, ut immortalitas, immunitas a concupiscentia, etc. erant pariter extraordinaria; ita extraordinaria debebat esse et ipsius scientia. Confer Augustinum in Genesi ad lit. l. 9. c. 19 26 - Athanasium cont. Gentes n. 2 - Cyrillum alex. in Joan. 1. 9. etc.

Accedit ipsa populorum omnium traditio, cujus testes sunt philosophi et poëtae omnes gentiles, nec non et codices sacri populorum.

Observat Thomas l. c., quod ea, quae nec naturali hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitae humanae, primus homo non cognovit, sicut sunt cogitationes hominis, futura contingentia, et quaedam singularia etc.

Idem S. Doctor jure merito negat, Adam vidisse Deum vel angelos per essentiam (q. cit. a. 1. et 2. etc.)

Thes. V.ª Hisce donis addidit Deus *corporis immortalitatem*, qua, impleta conditione divinitas statuta, a necessitate moriendi protoparentes immunes.

D. Procul dubio immortalitas primi hominis cum angelorum immortalitate confundi nequit: angeli enim ita constituti sunt, ut mori non possint etiamsi vellent, Adam autem *poterat non mori*, scilicet immortalitas in ejusdem hominis potestate erat, non vero in ipsa natura.

(Vide Augustinum Genesi ad litt. VI. 25 - de Civ. Dei XIII. 23 - Theophilum ad Authol. II. 27 - Lactantium, Ephrem *etc.*)

Pelagiani dicebant, immortalitatis donum Adamo non fuisse concessum: Bajani et Jansenistae contendebant, fuisse naturae humanae debitum: a catholica doctrina tum illi, cum isti discedunt.

In praesenti contra pelagianos dicimus, de fide esse, protoparentes immortalitate fuisse ornato. Genes 5. II. 17 Deus dixit: = In quocumque die comederis ex eo (fructu) morte morieris = Confer etiam III. 19. Si Deus Adamo mortem minatur ut transgressionis poenam, consequens fit, quod, peccato non intercedente, neque mortis poenam incurrisset. Ergo.

Sap. 1. 13. = Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. = II. 25 = Deus creavit hominem inexterminabilem.... invidia autem diabuli mors introivit in orbem terrarum. = Rom. V. 12; VIII. 10. etc. = Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors. = VI. 23 = Stipendia peccati mors. = Corpus mortuum est propter peccatum (VIII.10) = I. Cor. XV. 21, 22 etc. — Quae omnia oracula eo spectant, ut mors solius peccati poena repraesentetur, ut effectus praevaricationis: si igitur nullum fuisset peccatum, neque mortis caussa exstitisset. Ergo.

Accedunt Patres: Justinus dial. 124: = Ab initio homo expers erat mortis, in quo statu mansisset, si mandata servasset. = Augustinus centies repetit = Si non peccasset homo, moriturus non erat = (Confer Civ. Dei XIII. 15). Origenes in Levit. hom. IX: = Si legem implesset, humanum genus nunquam mortalis

conditio tenuisset. = Caeteros omitto. Item et Scholae suffragium non proferimus (Thom. 1. q. 97 a. 1.)

Absolvimus solemnissimis definitionibus Conc. Millevitani Can. 1.° = Placuit, ut quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore... non peccati merito, necessitate naturae, anathema sit. = Sic Carthag. IV. Arausic. II. can. 2. et Trident. sess. V. c. 1. 2. etc. pene iisdem verbis catholicum dogma confirmant et sanciunt.

Thes. VI.ª Dona omnia huc usque recensita Deus cumulata voluit externa singulari felicitate, qua protoparentes ab aerumnis et vitae doloribus immunes redderentur

D. Hanc felicitatem deducimus: 1. ex loco, in quo a principio collocati fuerunt, scilicet in paradiso voluptatis. Genes. I. 26, 27 et praesertim II. 8. 15. = Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem — Tulit ergo Dominus Deus hominem et posuit illum in paradiso voluptatis etc. — Confer etiam Ecclesiast. XVII. 3 seq. Deducimus 2. ex dono immortalitatis, immunitatis a concupiscentia, scientiae etc. quibus ipsum ditatum voluit Deus. Deducimus 3. ex subjectioue omnium creaturarum, ut novimus ex Genes. Psal. VIII. — Deducimus. 4. ex doloribus, quos hominibus propter peccatum inflixit Deus. Genes. III. 16, 27 etc.

Augustinus De Civitate Dei XIV. 26 — Vivebat itaque homo in paradiso, ut volebat, quamdiu hoc volebat quod Deus jusserat. Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita semper

vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret, lignum vitae, ne illum senectus dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore.... nullus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas.... nihil omnino triste.... Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum. — Basilius hom. quod Deus non est auctor malorum etc. — A molestiis immunis erat Adam. — Vide Nyssenum orat. cathech. VI. Chrysostomum etc.

Adde traditionem universalem, quae usque in hodiernum diem apud omnes populos obtinet, ut patet ex Nicolas (Studii filos. sul Cristianesimo VI. 2). Vide Thomam 1. 97. a 2. in quo ostendit, primum hominem *non fuisse passibilem, quatenus poterat prohibere passionem sicut et mortem, si absque peccato perseverasset* — a. 2. ostendit cibis indiguisse. — q. 96 a. 3 dicit, quod homines etiam in statu innocentiae fuissent inaequales *propter disparitatem sexus, propter aetatem et etiam propter justitiam, scientiam*, etc.; a. 3. affirmat, quod etiam in statu innocentiae fuisset subjectio quorundam erga alios, et probat *a pari* ex dispositione angelorum; et ex statu sociali etc.

Quod spectat ad paradisum terrestrem plura quaerunt theologi:

1.° Utrum locus ille *allegorice* intelligendus sit; et negant omnes contra Origenem et jure merito.

2.° Ubi fuerit locus ille; et quidam dicunt, totam fuisse terram, alii fuisse Palestinam, alii Mesopotamiam etc.

3.° Utrum adhuc existat vel destructus fuerit: quidam Patres affirmant, locum illum adhuc existere etc. Vide

Bessar. de gratia primi hom. c. 12, 13, 14, 15, 16 Verum de hoc superflua est quaelibet controversia.

Quaerunt etiam, quid fuerit lignum scientiae boni et mali, et cur hoc nomine designabatur. Rejecta opinione Josephi hebraici, Antiquit. l. c. 2 et Damasceni l. 2. c. 11, dicendum est, verum fuisse lignum, ita appellatum, quia experientia homo didicit bonum et malum (Augustinus de Civ. Dei XIV. c. 17 etc. Bellarminus l. c. c. XVII. et Thomas q. 97. a. 4. et alibi etc.)

Thes. VII.ª Bona hucusque recensita ad ordinem *supernaturalem* et *praeternaturalem* pertinere multiplici argumentorum genere demonstramus.

D. Vidimus supra hominem constare anima et corpore: quidquid igitur est praeter corpus et animam, et corporis, et animae vires, ad supernaturalem vel praeternaturalem ordinem pertinere necesse est; atqui: ergo:

Praeterea: ratum firmumque est apud theologos, naturalia amitti non posse: sic Thomas 1. 95 a. 1. in 2 sent. distinct. 31 q. a. a. 1. — Durandus in 2 sent. dist. 30 q. 5. et scholastici caeteri. Atqui dona omnia supra recensita amiserunt protoparentes eorumque filii omnes: ergo non sunt naturalia. (Bellarmin. l. c. c. V. etc.)

Rursus: Patres plures distinguunt in homine *imaginem* et *similitudinem*, et illam ad naturam, hanc vero ad gratiam referunt. Confer Eucherium in Genes. 1. qui dicit *imaginem* omnium esse, *similitudinem* paucorum, primam etiam in peccatoribus remanere etc. Bernardum serm. 1 de Annunt. — Iraeneum, Cyprianum, Ambrosium, Damascenum, Basilium etc. Vide Petavium Opif. l. 1.):

Succedit argumentum *a simili.* Patres et nominatim theologi (V. Thom. l. s. c.) docent, angelos lapsos a-

misisse quidem gratiam, minime vero naturam, neque naturae facultates. Ergo *a pari* homo lapsus dona supernaturalia amisit, sed *natura substantialiter integra* permansit: ergo dona omnia supra indicata *supernaturalia* credi debent, cum propter peccatum amissa fuerint.

Denique thesis opposita fundamento caret et respuenda est. Argumentum enim praecipuum, quo fulcitur, hoc est: poena peccati non solum id, quod est *supernaturale*, sed etiam *naturale* auferre debebat, secus non esset poena.

R. 1.° Asseritur, non probatur. 2.° Peccatum *moralem* ordinem subvertit, *non phisicum*, et ideo dona moralia, non phisicas proprietates aufert. 3.° Si natura aliquid sibi proprium amitteret, non puniretur, sed destrueretur. 4.° Naturam Deus solus contulit, atque adeo auferre potest; si autem propter peccatum naturalia auferuntur, non Deus, sed homo naturam auferret, quod dissonum est. 5.° Praeterea: plerumque videmus poenam scelerum in sola donorum ablatione collocari: nihil igitur impedit, quominus ita et Deus se gesserit; imo hoc congruentius erat, cum peccatum illud primum, quod propagatur, quodque supernaturalia dona abstulit, non sit in hominibus *immediate* et *directe personae*, sed *naturae* proprium.

Scholion. — Hic nonnulla sunt animadvertenda, quae pertinent ad dona *supernaturalia* et *praernaturalia* eorumque mutuum nexum:

1.° Praeternaturalia dona (hoc est immortalitas, integritas, felicitas primitiva, scientia singularis etc.) non sunt necessario conjuncta cum gratia sanctificante; pos-

sunt enim separari, et in ordine praesenti separata videmus.

2.° Nihilominus a principio Deus cum gratia sanctificante conjuncta voluit. Ergo non sunt proprie neque supernaturalia, neque naturalia dona, sed merito *praeternaturalia* appellantur.

Et hujusmodi dona non posse necessario conjungi cum gratia sanctificante, liquet ex se, dummodo gratiae sanctificantis et istorum donorum praeternaturalium rationes examinentur. Gratia enim sanctificans hominem renovat, filium Dei constituit, est Spiritus S. participatio, divinae naturae consortium etc.: nihil hujusmodi in donis praeternaturalibus recensitis.

Praeterea immortalitas, integritas, immunitas a doloribus etc. ad corpus directe referuntur; gratia autem sanctificans ad animam spectat.

Haec igitur dona in Protoparentibus conjuncta sunt cum gratia sanctificante ob solam Dei voluntatem, tamquam merces fidelitatis. Conjunctio vero istorum donorum cum gratia sanctificante convenientissima erat: nam scientia praesertim et integritas erant gratiae veluti tutela, et ad gratiam diligenter servandam incitamentum.

Si autem haec dona praeternaturalia non necessario cum gratia sanctificante sunt connexa, tamen ex divina dispositione cum gratia ita conjuncta erant, ut, illa amissa, illa quoque amitterentur, consequens est, non esse *naturalia*: *naturalia* enim non pendent a *supernaturalibus*. Ergo quatuor dona memorata in censu bonorum naturalium connumerari nequeunt.

THES. VIII.ª Idipsum fusius confirmatur argumentis ex Patribus et Scriptura petitis.

D. Scriptura ubique gratiam sanctificantem exhibet ut donorum omnium praeclarissimum (ex gr. 2. Petri 1. 3. 4), quod non solum opera, sed et naturae vires excedit; gratia igitur sanctificans Adamo collata supernaturalis erat.

Praeterea: sanctitatem Adami supernaturalem esse testantur Patres, ut Augustinus (de correptione et gratia c. 11), Chrysostomus (Hom. 16 in Gen.) Basilius (in Psalmo 48), Ambrosius (de Isaia et anima c. 5.ª), Irenaeus (l. 3. c. 23). Athanasius (c. gentes), Maximus M. (in Cant. 3. etc.). Schola universa in hoc ipsum conspirat = Thomas q. 4.ª de malo ar. 1. = Considerandum est, quod primo homini in sua institutione datum fuerat divinitus quoddam *supernaturale* donum, scilicet justitia originalis. = Cf. lib. 4 contra Gentes c. 52 et in 2. dist. 3. q. 1. ac. 1. etc.

Habemus propositionem damnatam Baji, qui dicebat, gratiam sanctificantem in Adamo fuisse *munus* naturae, non donum. Prop. 21 = Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae (gratia sanctificans) debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non *supernaturalis* = Confer. prop. 23, 24 et alias plures). Gemina est propositio damnata in Quesnello sub num. 35 = Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae. = Est igitur de fide. gratiam *sanctificantem* Adamo collatam supernaturalem esse.

Idipsum dicamus de immortalitate primi hominis. = Pulvis est, dixit Deus protoparenti, et in pulverem reverteris = igitur Adam ex natura sua pulvis erat, et post peccatum sibi ipsi relinquitur, et in *nativam* pul-

verem revertitur. Ergo immortalitas non erat naturae propria.

Augustinus (de Genes. ad lit. l. 6 c. 25) = Primus creatus est homo immortalis, quod praestabatur de ligno vitae, non de *constitutione* naturae . . . . mortalis ergo erat *conditione* corporis animalis, immortalis autem *beneficio conditoris* (Civit. Dei lib. XIII. c. 20. de Peccat. mer. l. 1. c. 4.°). Cyrillus (in Joan. l. 1.° c. 15.) = Homo a Deo productus, quia *natura sua* incorruptibilis et perpetuus esse non poterat, spiritu vitae signatus immortalitatis donum super naturam sua consequutus etc. = Consentit Schola: Thomas in 2. Disp. 31 q. 1. ar. 2. ad 3. ubi dicit *hominem* in conditione naturae suae relictum, mortalem et passibilem esse = Veritas definita est in prop. 78 contra Bajum = Immortalitas primi hominis non erat gratia beneficium, sed naturalis conditio = Item confer proposit. aliam = Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraretur, ad eam vitam pertransisset, in qua mori non posset. = Praeterea idipsum demonstratur, inspecta ipsa hominis structura: nam natura contrariis elementis conflata, necesse est aliquando dissolvatur: unde corpora omnia animata *naturaliter* dissolvuntur, ut experientia docet. Ergo immortalitas est donum supra naturam. Confer Magendiè, Procès elementaire de Phisiologie, Tommasini, Lezioni critiche, Bukat, Anatomie géneral etc.

Opp. Arausicanum Concilium docet, injustitiam in Deum fore affirmare, homines morituros etiamsi non peccassent. Ergo.

R. Quia Deus sua benignitate homines ita condiderat, ut immortales essent etiam quoad corpus, nisi peccas-

sent, injustitia foret contrarium dicere; at hoc ex divina bonitate et promissione non ex naturae viribus repetendum erat. Ergo. Praeterea cum in ordine praesenti mors sit poena peccati, injustus esset Deus, si nullo intercedente peccato, mortem hominibus inflixisset. Item supernaturalia fuerunt dona scientia, integritas et felicitas Adamo collata. Omissis aliis argumentis ex Patribus, ex Scriptura etc., satis est consulere propositiones damnatas in Bajo etc. Prop. 3.ª = Primo homini, si in statu illo perseverasset . . . felicitas erat merces, non gratia = Prop. 26.ª = Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio. =

Thes. IX.ª Bajani et Janseniani pervertunt Scripturas et Patrum doctrinas, et nominatim August., quando: 1.° negant, hominem condi potuisse absque gratia sanctificante: 2.° quando discrimen inter amorem Dei naturalem et supernaturalem inficiantur.

D. Bajus et Jansenius, eorumque sectatores affirmant, hominem creari non potuisse absque gratia sanctificante; quod theologicis argumentis tueri conantur. Bajus ad suam defendendam opinionem provocat ad Paulum Rom. 11. 14 = Cum enim gentes, quae legem non habent, *naturaliter* ea, quae legis sunt, faciunt etc. = Hic, inquit Bajus, sermo est de christianis, non de gentibus: qui christiani naturaliter opera sancta edunt: ergo gratia hominibus *naturalis* est: quam explicationem ex Augustino confirmat.

At hic Paulus non de christianis, sed de Gentibus loquitur, quia 1.° gentes hic opponit Judaeis; quia 2.° vocabulum generatim sic intelligendum est; quia 3.° gen-

tes istae non habent legem, unde non sunt neque Judaei, neque Christiani, qui omnes legem habent; quia 4.° id contextus postulat, nam ibi loquitur de gentilibus, quibus lex *positiva* data non fuerat, quique tamen inexcusabiles erant si Deum non cognovissent etc.; quia 5.° hoc deducitur ex prop. 22.a Baji (Cf. propositionem integram). Quare hic loquitur Paulus non de christianis, vel Judaeis ad ordinem supernaturalem evectis, sed de gentibus, quae *naturaliter* bene se gerebant etc. Ergo non appellatur *naturalis elevatio* ad *statum gratiae*, ut volunt adversarii, sed dicitur *naturalis conditio gentilium* per oppositionem ad *revelationem judaicam*, *externam etc.*

Quod attinet ad Augustini interpretationem, observamus, quod etsi Augustinus hanc interpretationem nostram non tenuerit, non tamen rejecit —, et *naturalem* dicit *gratiam* quatenus non opponitur naturae, sed ipsi quam maxime congruit.

Oppon. 1.° Augustinus, ait Jansenius, docet in op. imperf., quod si parvuli cum peccato originali nascuntur, certe redempti esse debent: ergo redemptionis gratia debetur.

R. Gratia sanctificans necessaria est in ordine *historico,* idest posita *divina voluntate* elevandi homines, C.: in ordine *absoluto*, et seposita voluntate Dei elevandi homines etc., N.

Opp. 2.° Urget Jansenius: sicut coecitas est vitium (sunt verba Augustini plurimis in locis) naturae, ita et gratiae carentia haberi debet ut ejusdem naturae vitium: ergo gratia est *naturalis*, et sine gratia homo creari non potest.

R. Eadem responsio ut supra.

Opp. 3.° Homo sine gratia et charitate malus est, ait Jansenius; ergo *absolute* debetur gratia etc.

R. In ordine *historico*, C.: in ordine *absoluto*, vel purae naturae, subdistinguo: sine charitate *naturali* malus esset, C.: *supernaturali*, N.

Opp. 4.° S. Augustinus, S. Leo, Prosper, et alii, sic Bajani et Janseniani, gratiam *dicunt* homini *naturalem*. Ergo debetur naturae.

R. Hoc dicunt quia 1.° cum ipsa origine seu natura gratia conjuncta fuit; 2.° quia naturae non opponitur (Thom. 2. 2. et q. 104. art. 4 ad 3.); sed eidem congruit; vel quia 3.° natura gratiae capax est; vel quia 4.° Deus vult ut natura gratiam habeat, minime autem quia naturae proprie debeatur (Cf. Augustinum de praedestinat. sanct. c. 5.° de Civit. Dei l. 12 c. 9 et alibi etc.)

Opp. 5.° Augustinus docet, inter concupiscentiam vitiosam et charitatem theologicam nullum dari medium; qui ergo non habet charitatem theologicam, concupiscentiae obnoxius vitiosae, adeoque malus est: ergo charitas theologica, seu gratia, necessaria est naturae.

R. In ordine praesenti seu *historico*, C.: in ordine *purae naturae*, N. Nam in ordine purae naturae sufficiebat charitas, seu amor naturalis.

Inter charitatem theologicam et vitiosam concupiscentiam in *ordine absoluto* seu purae *naturae* dari amorem naturalem, docet Thomas plurimis in locis, ut in 9. de malo 1.ª q. 95 ar. 1.° et alibi cit. a Bellarmino de gratia primi hominis c. 5 etc. et nominatim in Quodlibet c. 1.° ar. ... affirmans = Deum potuisse creare po-

minem in puris naturalibus = et deinde subjungit = Utile est considerare ad quantum se dilectio naturalis extendere posset . . . . Dicendum est ergo, quod diligere Deum super omnia plus quam seipsum est naturale non solum angelo et homini, sed etiam cuilibet creaturae secundum quod potest amare aut *sensibiliter* aut *naturaliter*.

Huc faciunt propositiones damnatae in Quesnello, quae veniunt sub n.° 38. 39. 40. et potissimum in Bajo 28. = Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quae per Spiritum S. in corde diffusa est, quaque Deus amatur. =

Cf. Prop. 40 et rursus in Quesnello 44, 45. et rursus 34 Baji = Distinctio illa duplicis amoris, *naturalis* videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et *gratuiti*, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum S. Scripturis et plurimis veterum testimoniis excogitata = Vide etiam prop. 41. =

Tanta igitur auctoritate liquidum est, gratiam sanctificantem non esse *naturae debitam*, ne ipsa mala sit; nam si Deus hominem sine gratia creasset, illumque ad naturalem finem sibi proprium destinasset, solis naturae viribus naturalem finem assequi poterat, et intra naturae limites homo perfectus fuisset. Facta autem supernaturalis ordinis institutione, nulli dubium, hominem malum esse nisi ipsum consequatur; neque obtineri potest sine gratia vel charitate supernaturali, cujus necessitas non ex natura oritur, sed ex libera Dei voluntate petenda est.

Thes. IX.ª Errant rursus Bajani et Janseniani quando tuentur, rationalem naturam, ne mala sit, exigere, ut ad beatificam Dei visionem tamquam ad finem sibi proprium ordinetur, nec eidem sufficere beatitudinem, quae *naturalis* dicitur.

D. Bajani et Janseniani, ut suam defendant sententiam de *gratia debita naturae*, ne mala dicatur, tum ex ipsa humana natura, tum ex auctoritate praesertim Augustini probare nituntur, finem ultimum necessarium naturae rationalis esse beatificam Dei visionem: atqui (sic illi) visio beatifica, sine qua rationalis creatura concipi non potest, postulat gratiam etc. Ergo. Citant Augustinum de Civit. Dei l. 12. c. 1.° In oper. imperf. c. 1 = serm. 94. c. 6, Confess. l. 1. c.)

R. Conglobatim. Verba Augustini referuntur ad hominem prouti nunc est ad supernaturalem finem ex divina bonitate destinatum, et verissima sunt verba: ipse loquitur de homine in ordine *historico*, minime vero de homine in ordine *absoluto*.

Profecto finis proprius rationalis creaturae est contemplatio et possessio Dei *naturalis;* et ad hunc finem homo non potest non tendere; at contemplatio, vel possessio Dei *supernaturalis* (cujus modi est ea, quae, facta revelatione, hominibus reservata et promissa est) nullo modo debetur. Si Deus homines ad ordinem et finem *supernaturalem* non destinasset, ad Deum utique necessario tenderent, sed *naturaliter*, viribus propriis etc.: posita autem *supernaturalis* ordinis institutione, homo duplici ratione et veluti pondere in Deum tendit, tamquam in finem sibi proprium: *ratione* et *pondere naturae*, quod, posita creatione, est *omnino necessarium*;

ratione, et *pondere supernaturali*, quod ex *positiva divina voluntate*, non ex naturae juribus repeti debet. (Cf. Suarez. Proleg. IV de gratia, et alios.)

Visionem Dei beatificam *naturaliter* debitam non esse, perspicuum est 1.° si consideretur indoles, ipsaque visionis beatificae natura, quae ut terminus fidei, merces charitatis, corona justitiae christianae, haereditas filiorum, consortium regni Christi, transformatio in gloriam Dei in Biblicis et Ecclesiasticis monumentis describitur: haec autem omnia indubitanter supernaturalia sunt: supernaturalis igitur et visio beatifica. 2.° Huc faciunt damnatae omnes Baji et Jansenii propositiones, quae *directe*, vel *indirecte* eo pertinent, ut distinctionem et hypotheticam separationem ordinis naturalis et supernaturalis tueantur, adeoque distinctionem inter felicitatem *naturalem* et *supernaturalem* stabiliunt. 3.° Universa Schola Thomae doctrinae insistens, constanter hoc fidei nostrae caput propugnavit, sive quando defendit duplicem ordinem *naturalem* et *supernaturalem*, sive quando distinguit duplicem finem, sive quando dicit, hominem visione Dei beatifica destitutum *in se* malum non esse, sive quando tradit hominem non posse Deum *immediate* videre, et videre Deum esse insigne beneficium. (Thomas q. de malo 4. Dist. 49 q. 12. ar. 5, p. 1. quaest. 12. ar. 1.°, de veritate q. 3. art. 3., q. 14°, art. 21 etc.)

Thes. XI.ª Alienum est a veritate et a majorum doctrina, affirmare immunitatem a concupiscentia debitam fuisse naturae innoxiae, et sine ipsa condi non potuisse.

D. Concupiscentia non est *in se ipsa* mala, quia nihil aliud est, quam facultas appetendi *sensibile bonum*, et *malum* aversandi, et si movet ad peccatum, non ne-

cessario movet: si ergo non est mala in seipsa, nihil prohibet quominus Deus homines cum concupiscentia condere potuerit. Praeterea post regenerationem Baptismi in renatis nihil est peccati, et tamen concupiscentiae obnoxii sunt: non est igitur aliquid *intrinsece* malum: Ergo.

Insuper facultas sentiendi, et appetendi, qua nunc homines potiuntur, non *natura* et *specie*, sed *ratione modi* ab ea differt, qua praediti erant homines innocentes: et ipsi enim cibo et potu delectabantur, et ipsi generaturi erant etc. Unde haec eadem facultas in Protoparentibus admittenda, hoc facto discrimine, quod illo felicissimo statu obtemperabat rationi, nunc rebellis est, sed tamen voluntati vim inferre non potest.

Haec est sententia scholae, paucissimis exceptis, qui distinctionibus subtilioribus et ridiculis Ecclesiae damnationi se subtrahere nituntur. Speciminis gratia confer Thomam, quem paucissimi illi ad sua commenta pertrahere audent. Disp. 31. q. 1. ar. 2 ad 3. = Poterat Deus a principio quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in *conditione naturae suae* relinqueret, ut scilicet *mortalis* et *passibilis* esset, et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens, in *quo nihil* humanae naturae derogaretur, quia hoc ex *principiis naturae consequitur*: non tamen iste defectus rationem poenae in eo habuisset, quia etc. = Et p. 1. q. 95 ar. 1. = Manifestum est quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem non erat *naturalis*, alioquin post peccatum mansisset etc.

Brevitatis causa confer fere omnes propositiones Baji et Quesnelli, et nominatim supra citatas 26 in Bajum

et 55, quae sic se habet = Deus non potuisset ab initio talem creare hominem qualis nunc nascitur. = Haec propositio non indiget commentario.

Scholion. Quidam pauci theologi, qui aliquo modo defendere volebant, hominem creari non posse absque donis *supernaturalibus*, et *praeternaturalibus* supra recensitis, neque propositiones damnatas, praesertim 55 Baji, incurrere, distinctionem hanc intulerunt: Deus potest creare hominem prouti nunc nascitur potentia *absoluta*, C.: *ordinaria*, N. Ipsi potentiam *absolutam* habent illam, quae operatur ex legibus strictae justitiae: *ordinatam*, quae etiam cum legibus sapientiae, convenientiae, bonitatis componitur.

Haec distinctio *a*) nova prorsus est; *b*) arma Bajanis, Jansenianis, Protestantibus etc. contra catholicos suppeditat; *c*) et Bajus et Jansenius non negabant, Deum *potentia absoluta* homines sine donis, de quibus supra egimus, creare potuisse; *d*) haec distinctio *philosophice* et *theologice falsa* est, *irrationalis*, *absurda* et bruta; siquidem supponit Deum aliquid agere posse absque *ratione*, *sapientia*, *ordine*, quod nefas est dicere. Si haec distinctio admitteretur, admittendum quoque foret, Deum *absolute* mentiri posse, sicut quidam ex illis affirmare non erubuit.

Thes. XII.ª Ex dictis colligimus, hominem in *puris naturalibus* condi potuisse.

D. Haec non est thesis, sed corollarium, quod suapte natura ex propositionibus supra demonstratis profluit. Patet 1.° ex dictis de ordine *supernaturali* et *naturali* in genere, 2.° ex dictis, et ex dicendis suo loco de gratuitate gratiae, quae nullo modo *gratuita* esset, si

natura humana vel angelica absque gratia creari non posset. 3.° Patet ex propositionibus damnatis in Bajo, Jansenio, Quesnello etc. praesertim ex 65 = Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. 4.° ex consensu fere omnium theologorum, illis paucissimis exceptis, qui ad distinctionem supra rejectam confugiunt. Pariter, citato testimonio s. Thomae, juverit haec verba addere (Quodl. 1.° ar. 8.°) = Possibile fuit Deo, ut hominem faceret in puris naturalibus = Confer Martin. de Ripalda. de Ente supernat. disp. 8 sest. 1.ª etc.) Bellarminum l. 1° de Gratia primi hominis, plurimis capitibus, et potissimum vide Tournely de Gratia q. 2. Casini Comm. de statu purae naturae, De Rubeis, de Orig. peccator., Suarez loco cit. Cajetanum, Capreolum, Medina, Sotum, Durandum, Scotum, Vega, Tapper etc. usque ad Perrone.

Praestat hic exercitationis gratia nonnullas communes difficultates, quas pauci contrariae sententiae patrocinatores obtrudunt, scholastica methodo diluere.

Opp. 1.° Homo sibi relictus non potest officia sibi propria cognoscere et observare: ergo non potest constitui in puris naturalibus.

R. Distinguendum. Si Deus mediis naturalibus non fuisset auxiliatus (de quibus mediis non est cur heic solliciti scimus), C.: secus, N.

Opp. 2.° Homo non potest creari cum appetitu sensitivo seu concupiscentia, qua ad peccatum impellitur.

R. Distinguo. Si concupiscentia ad peccatum *necessario* impelleretur, C.; si tantum voluntate assentiente, N.

Opp. 3.° Quod est intrinsece malum, homini nequit

esse naturale. Atqui talis est concupiscentia, quae ad peccatum ducit. Ergo.

R. N. majorem et minorem; argumentum distinguo: *ducit ad peccatum*, idest *inclinat*, C.; impellit necessario, N.

Opp. 4. Status pugnae non est homini naturalis: concupiscentia est status pugnae. Ergo.

R. Status pugnae, que vinci non potest non est naturalis, C.: quae, adhibitis mediis propriis, vinci potest, N.

Opp. 5. Quod homines erubescunt non est *naturale*, subjungunt Berti, Rosmini et alii. Atqui. Ergo.

R. Nego minorem; homines enim pudet et paupertatis et miseriae, et etiam boni operis. Ergo. Deinde pudet homines *concupiscentiae*, *historice*, C.; *absolute*. N.

Opp. 6. Natura dicitur mala, corrupta, dicitur noverca non solum a multis theologis, sed a prophanis etc. Ergo gratia necessaria est.

R. *Historice*, C.: *Absolute*, N.

Opp. 7. Passiones quibus homo vexatur, dicuntur peccata. Ergo.

R. Dist. poenae peccati, et in ordine *historico*, C.: peccatum sensu *stricto* et in ordine *absoluto*. N. Esset sententia *haeretica*, *manichaea* etc.

Coroll. Errant igitur Norisius, Berti et alii quidam Augustiniani, Rosmini etc. qui autumant *ordinem purae naturae* institui non potuisse: videant auctores isti, qua ratione in sua doctrina defendi possit dogma de gratuitate gratiae, et ordinis supernaturalis, et quo pacto propositiones damnatae declinari, vel explicari valeant.

Scholion. Quando nos tuemur possibilitatem ordinis

purae naturae, determinare nolumus, quaenam futura hominis conditio fuisset, quaenam *media naturalia* necessaria etc. Prudentius est ab hisce investigationibus, quae nihil prosunt, animos cohibere: satis sit hoc unum certo certius demonstrare, hunc ordinem possibilem fuisse.

Ad doctrinam catholicam de statu primi hominis illustrandam et propugnandam, non parum juverit ea legere et attente meditari, quae Ecclesia statuit contra Bajum, Quesnellum et Jansenium. En propositiones prae caeteris considerandae. Prop. 1, 2, 3, 4, 6, 7, 9, 21, 23, 24, 26, 34, 36, 38, 55, 72, 73, 78, 79, Baji et 35. 39, 41, 44, 45, 70 Quesnelli.

TRACTATUS

de elevatione angelicae naturae ad ordinem supernaturalem, ejusque lapsu.

THES. I.ª Inter veritates revelatas ea connumerari debet, qua tenemus, angelicam naturam gratia sanctificante locupletatam fuisse.

D. Probamus I.° ex eo, quod angeli natura hominibus sunt praestantiores; si autem angeli hominibus dignitate naturali praecellunt, et si constat homines gratia sanctificante fuisse ditatos, multo magis hoc teneri debet de angelis. 2.° Si Angeli in ministerium propter eos mittuntur, qui haereditatem capiunt salutis, scilicet propter homines, necesse est supponamus, angelos gratia fuisse ornatos. 3.° Angeli in Scripturis dicuntur *sancti*

(apud Eccles. et Ps.) *coelestes* (Job. IV. 18, XV. 14, XXV. 5), *familiares, amici* Dei, *servi* etc. (Apocalip.); dicuntur Angeli *lucis* (2ª Cor. et alibi), *filii* Dei, *Dii* (Evang. Joan. Psal., Job.): haec loquendi ratio, usu biblico, significat elevationem *supernaturalem*, adoptionem etc. 4.° Joannes in Evangelio dicit: angelum non stetisse in veritate: Judas in sua Epistola scribit = Angelos non tenuisse suum *principatum*: et Ezechiel *graphice* describit sub persona regis Tyri lapsum Angeli etc.: haec omnia juxta biblicas locutiones important angelorum singulorum quandam elevationem etc. Item 5.° Patres dicunt, Angelos similes Deo, justos, sanctos, innocentes, puros, charitate flagrantes, lumine coelesti illustratos, beatos etc. Ergo. Nazianzenus or. 43 = Coelestes virtutes perfectionem et splendorem nancisci non possunt sine spiritu (gratia) = Damascenus l. 3 c. 3.° = Angeli per Spiritus S. sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt . . . . sanctitatem porro aliunde quam a sua natura, nimirum a Spiritu S. habent. = Quia, subdit Didymus l. 1.° de Spir. S., Omnis creatura non ex sua substantia, sed ex communicatione alterius sanctitatis sancta efficitur. = Conf. Basilium De Spiritu S. c. 16.° Augustinum De Civit. Dei c. 12, 9. Ambrosium de Spirit. S. lib. 1.°; Cyrillum Hierosoly. Cath. 16. Huc facit corpus totius scholae, (Cf. Thom. I. p. q. 62.). Confer propositiones damnatas Bajanas 1.m 3.m 4.m 5.m

Thomas, loco citato art. I. quaerit, utrum Angeli in sua creatione fuerint beati; et respondet, duplicem distingui oportere beatitudinem; *naturalem*, et *supernaturalem*: *naturalem* beatitudinem habuit in ipsa crea-

tione, quia = *naturalem perfectionem angelus non acquirit per motum discursivum, sed statim propter suae naturae dignitatem; supernaturalem vero non habuit a principio, quia haec beatitudo non est aliquid naturae, sed naturae finis.* =

Quaerit art. II.° utrum Angeli gratia indiguerint, ut ad Deum converterentur; et respondet: nulla dubitatio esse potest, quia = naturalis motus voluntatis est principium omnium eorum, quae volumus; naturalis autem inclinatio est ad id, quod est conveniens secundum naturam. Et ideo si aliquid sit supra naturam, voluntas in id ferri non potest, nisi ab aliquo alio supernaturali principio adjuta etc. Et ideo angelus in illam beatitudinem voluntate converti non potuit, nisi per auxilium gratiae. =

Coroll. = Potuit igitur et Angelus, sicut homo in *puris naturalibus creari.*

Quaerit art. III.° Utrum Angelus in gratia creatus sit; et dicit, sententiam affirmantem probabiliorem esse, quod quidem probat ex auctoritate Augustini. (Confer. Civ. Dei. lib. XII.° c. 9) et ex analogia rerum etc. — Conf. articulum. 3.

Quaerit art. 4. utrum Angeli suam beatitudinem meruerint, et ibi affirmat, et demonstrat.

Quaerit art. 5. utrum post unum actum meritorium beatitudinem habuerint, et affirmat quia = gratia perficit naturam secundum eandem naturam; est autem proprium angelicae naturae quod naturalem perfectionem non per discursum acquirat, sed statim etc. Ergo etc.

Quaerit art. 6 utrum angeli gratiam, et gloriam sint consecuti secundum quantitatem suorum naturalium: et

affirmat, non quia natura gratiam exigat, vel Deus ad id *absolute* teneatur, sed quia rationabile est quod angeli, qui meliorem naturam habuerunt, etiam fortius et efficacius ad Deum sint conversi. =

Quaerit art. 7. utrum in angelis beatis remaneat cognitio, et dilectio naturalis; et affirmat quia = quamdiu manet natura aliqua, manet operatio ejus: sed beatitudo non tollit naturam, cum sit perfectio ejus; ergo non tollit naturalem cognitionem, et dilectionem. =

Art. 9. negat angelos proficere posse = quia non sunt viatores, sed comprehensores =.

Thes. II.ª Est veritas revelata, plures angelos ex supernaturali statu, in quo constituti fuerunt, peccato excidisse =.

Dem. Utriusque Foederis paginae passim angelorum lapsum enarrant, et quandoque fuse describunt. In Gen. c. 3. narratur seductio Evae per serpentem facta: in Deuteronomio c. 32, in Tobia, in Sapientia plura narrantur de daemoniis; magnifica est descriptio Exechielis c. 28. et Isaiae c. 14. quorum primus in persona Regis Tyri, alter in persona Regis Babylonis angelorum ruinam repraesentarunt. In Novo Testamento Petrus loquitur de Angelis peccantibus, quibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos tradidit cruciandos etc. Judas memorat angelos, qui non servaverunt suum principatum; Joannes mentionem facit de diabolo, qui ab initio peccat, qui est accusator fratrum, qui projectus est de coelo, qui pugnat contra bonos angelos. In Apocal. legimus plura de Dracone maligno, rufo, qui est diabolus, et Satanas, qui persequitur electos, qui debellatur cum angelis suis a Michäele etc. E-

vangelistae narrant daemonia ejecta a Christo, ab Apostolis: occurrit nomen Belzebub principis doemoniorum; Paulus istum appellat Belial, deum saeculi hujus, spirituales nequitias etc. Frustra ad veritatem tam evidentem proferremus Patres, liturgicas orationes, traditionem universam: hujus doctrinae vestigia inveniuntur apud Egyptios, Indos. Persas, Synenses, Japonenses, Graecos, Latinos, etc.

Scholion I. Etiam angeli lapsi quavis materia soluti credi debent, et Patrum testimonia, quae contrarium docere videntur, non difficili negotio explicari possunt, ut supra vidimus de Angelis.

Scholion II. Haeretica est doctrina Ebionitarum, Saturnini, Marcionis, Manichaeorum, et Gnosticorum fere omnium, qui dicebant, daemones origine malos esse.

Scholion III. Causa qua factum est ut Angeli laberentur, non alia est quam malus liberi arbitrii usus.

Scholion IV. Sepositis opinionibus Tertuliani, Lactantii et aliorum qui dicunt angelos peccasse cum filiabus hominum; et Justini, et aliorum, angelos ob invidiam in hominis excellentiam lapsos esse; Papiae, qui arbitratur excidisse ob malum mundi ipsis commissi regimen; dicimus, eos peccasse superbia, et fortassis quia mysterium Filii Dei hominis futuri, ipsis revelatum, contempserunt, et rejecerunt.

Scholion V. Certe inter Angelos lapsos fuit quidam princeps, ut apparet ex Apocal. ejusque suasione alii rebelles facti sunt. Confer S. Thomam qu. 63 art. 7. 8.

Scholion VI. S. Thomas existimat (art. 6 cit. quaest.) diabolum statim post primum instans creationis peccavisse; quod negat Bonaventura.

Scholion VII. Probabilius videtur, Angelos lapsos numero inferiores esse angelis stantibus, ut non obscure Apoc. c. 12 nos docet; eosque ad omnes ordines pertinuisse. (Vide S. Thomam q. 63. 1. et Suarez lib. VII).

THES. III.[a] Visum est Deo peccantibus Angelis nullum facere reparationi ac poenitentiae locum =.

D. Etsi ambigendum non sit Deum potuisse etiam Angelis lapsis, sicut hominibus, poenitentiae locum tribuere, citra dubitationem est non concessisse.

Quod sequentibus argumentis ostendimus:

a) Sacra eloquia neque *directe*, neque *indirecte* hoc insinuant: imo;

b) Redemptionem hominibus, minime vero Angelis concessam fuisse declarant. Sic Paulus observat, Verbum Dei semen Abrahae, non angelorum apprehendisse; et Christus apud Matth. XXV dicit ignem aeternum paratum diabolo, et angelis ejus, et Satanam, ut fulgur e coelo cecidisse, etc.

c) Diserta sunt oracula sequentia = II. Petri c. 2. 4. = Si Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari, etc. = Judae v. 6 Angelos (Deus), qui non servaverunt suum principatum, et dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni dici, vinculis aeternis sub caligine reservavit = Apoc. XII. 7. 8 = Neque locus inventus eorum (Angelorum lapsorum) amplius in coelo = Conf. c. XX. 9. 10 = Isaiae XIV. 12. etc. Haec testimonia perspicua sunt, et explicatione non indigent.

Mirifice conspirant Patres. Damascenus lib. 1. 2, ait = Angelum capacem non esse penitentiae, quia

corpore vacat = Fulgentius de fide = De angelis (Deus) statuit, ut si quis eorum, bonitatem perdiderit, nusquam eam divino munere repararet = Augustinus pluries hoc docet, et nominatim de mirabil. S. Scripturarum scribit c. 1 = Vulnus angeli verus medicus indicare noluit, dum illud postea curare non destinavit, et qualiter sit ejectus per sententiam reticuit, quam per poenitentiam nullo modo revocavit = Confer Gregorium Magnum Moral. lib. 2. 3. Isidorum, Prosperum, et Cassianum, qui angelorum peccatum *irremediabile* appellant.

Investigant Patres, qua de causa Deus, qui hominibus poenitentiae tempus, et reparationis media concessit, Angelis denegaverit; et respondent:

I.° Quia Angeli, utpote absque corpore, in bona, vel mala voluntate statim primo actu veluti stabiliuntur: sic Damascenus supra citatus, et videtur haec esse mens etiam S. Thomae Conf. 1. p. qu. 62 art. 5. q. 63 art. 6:

II.° Quia angeli nullis corporis cupidinibus illecti, liberrime, nulla tentatione vexati, peccarunt; sic Nemesius de nat. hom. Coll. Cassian. IV.° 14 Gregorius Magnus, Augustinus Epist. ad Gal. 4. 24. Bernardus, Nyssenus, Justinus, etc.

III.° Quia summa scientia praediti erant. (Augustinus).

IV.° Quia si auctores peccati poenam rebellionis non statim luissent, homines Dei justitiam non timuissent = (Sic Jeronymus) — Nissenus, Ireneus, et quidam alii Patres, quibus adstipulatur Scotus cum paucis theologis, putabant, neque angelos lapsos beneficio quodam redemptionis fuisse destitutos, sed eo uti dedignatos fuisse. Sed haec opinio relinquenda prorsus videtur.

Scholion I. Repudianda est opinio S. Iraenei (V. 26), et Justini, qui existimabant, daemones ante Christi adventum, suam aeternam damnationem non satis certe cognovisse, unde remissius in homines desaeviebant; at, ea ab ipso Christo audita, crudelius in homines se gerere coeperunt.

Scholion II. Quando ceciderint Angeli, praecise non constat; revelatum tamen est, eos ante lapsum Adami excidisse.

Scholion III. Sententia quorundam Theologorum, et Dantis (Inf. c. 3. 38. 39), quosdam angelos tempore rebellionis fuisse incertae fidei, et hinc inde inclinasse, non est cur rejiciatur, vel admittatur, cum revelatio de hac re nihil dicat.

Scholion IV. Communissima est doctrina majorum, daemones auspicia, auguria, oracula mundo intulisse, humanum genus decepisse, persecutiones in Christianos excitasse.

Scholion V. S. Thomas disputans de poenis doemonibus inflictis, demonstrat: 1.° quamquam in angelis cognitio naturalis non fuerit *ablata*, vel *diminuta*, cognitionem tamen *speculativam* per gratiam diminutam fuisse, *affectivam* vero *amorem Dei producentem*, totaliter ablatam fuisse. Confer. q. 64 art. 1. — 2.° Voluntatem doemonum in malo fuisse obstinatam. Confer. q. cit. art. 2, adeoque gratia sanctificante expoliatos fuisse. — 3.° Doloribus gravissimis afficiuntur q. cit. articulo 3.°

Et 4.° In hoc aëre tamquam in carcere caliginoso detinentur usque *ad tempus* judicii. (Augustinus l. 3 de Gen. ad litt. c. 10).

Scholion VI. Etsi quidam antiqui dubitare visi fuerint de poena ignis, qua daemones cruciantur, nunc tamen apud omnes in confesso est, igne, veroque igne cruciari; secus monumenta omnia tum biblica, tum ecclesiastica perperam forent detorquenda.

Thes. IV.[a] Quamquam antiqui medici, ut Galenus, Ippocrates (apud Wolstein Comm. in N. Test.), et increduli, ut Becker, Semler (Dissert. de Daem.) Rênan (Vita di Gesù c. XVI.º De miraculis), et, ex Catholicis, Jahn, daemonum obsessiones, et molitiones denegaverint, ratum firmumque esse debet, obsessiones, et molitiones daemonum haberi.

Dem. In Scripturis, praesertim N. Testamenti, nihil evidentius, quam veras obsessiones haberi; confer inter alia Matt. IV., 24 VIII. 15 Marc. 1. 32 II. 24. Luc. X. 18. VI. 17 XIII. 32 etc. ubi daemonia habentes Christo sistunt, et Christus Daemones ejicit, cum eis loquitur, isti respondent etc.: quae omnia explicar nequeunt de naturalibus infirmitatibus, ut affirmat Renan, nisi dicamus, Christum ignorasse quid fecerit, et jocular se gessisse.

Suffragium Patrum nequit esse copiosius, et magis consonum. Confer Tertullianum Apol. 23. Cyprianum contr. Demetr., Nazianzenum contra Julianum art. 1. Cyrillum Dial. contra eundem lib. VI. Epistolam Elaeut. 30. Jeronymum Contr. Vigil. 4. 11. Augustinum, Theodoretum etc.

Confirmatur ex Ecclesiae orationibus, ritualibus, ex Historia Ecclesiastica, et ex factis certissimis.

Scholion. Quibus positis, dari potest commercium quoddam cum doemone, fieri possunt invocationes, sor-

tilegia, incantationes etc. Unde jure merito Pontifices Xistus V., Innocentius VIII, Gregorius XV. leges contra hujusmodi superstitiones tulerunt.

TRACTATUS

de Peccato Originis.

PRÆFATIO.

Praeclare Augustinus (Cont. Jul. lib. 1. C. 2) observabat, quod apud christianos alia sunt, in quibus inter se etiam doctissimi, atque optimi regulae Catholicae defensores, salva fidei compage, aliquando non consonant. Hoc autem, de quo nunc agimus, ad ipsa pertinet fidei fundamenta.

Quisquis enim in christiana fide vult labefactare quod scriptum est = Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum etc. =, totum quod in Christo credimus auferre molitur =. Et revera, dogmate de originali peccato in dubium revocato, omnia in catholica fide pessumdarentur: namque Incarnatio Verbi, et quae ab ea pendent, oeconomia Ecclesiae, sacramenta etc. intimo vinculo cum originali labe copulantur, ut norunt omnes catholici.

Nihil igitur mirum si modis omnibus fidei osores, hunc fidei christianae lapidem angularem summovere nisi fuerint; ex quibus, alii existentiam negarunt, ut Pelagiani, Sociniani, et increduli omnes antiqui, et recentiores, contendentes hanc dotrinam sanae rationis principiis e diametro adversari; alii errarunt plus aequo

effectus illius priscae culpae extendentes, ut Lutherani, Calviniani, Janseniani, Bajani etc.; alii denique pauci, hujus culpae effectus nimis cohibentes, a praescripto catholico discesserunt.

Adversus hos omnes christiani dogmatis corruptores, vel negatores decertantes, statuemus. 1.° Protoparentes peccasse, eorumque peccati caussam investigabimus. 2.° Protoparentum culpam in omnes homines propagatam fuisse, et propagari. 3.° B. Virginem Mariam ab illa originali labe divinitus illaesam servatam fuisse. 4.° Deinde naturam originalis peccati inquiremus, et pro viribus ostendemus. 5.° Denique de poena, et effectibus originalis peccati agemus.

CAPUT PRIMUM

Protoparentes, instigante Satana, in superbiam elati, graviter peccarunt.

Thes. I.ª Angelus lapsus in Deum, et in hominem suam patefecit inimicitiam, cum tentator accedens, auctor extitit, ut protoparentes laberentur.

Dem. Deus protoparentibus, quos tot tantisque auxerat charismatibus, praeceptum imposuerat dicens = Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiae boni et mali, ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris. (11. 16. 17 Gen.) = Quod praeceptum sapienter protoparentibus impositum fuerat, ut ita intelligerent, se esse Deo obnoxios, et divino expleto mandato, vitam aeternam mererentur. (Joan. Chrysotomus Homil. XVI in Gen.) =.

At Angelus lapsus, vel diabolus, Deum odio prosequens, ipsius excellentissimum opus, hominem scilicet, et in eo rerum omnium sensibilium universitatem perdere aggressus est. Quapropter, permittente Deo, diabolus sub forma serpentis ad feminam accessit, eamque ad praecepti praevaricationem induxit, et per mulierem virum quoque seduxit. Fuse haec protoparentum praevaricatio narratur in Genesi C. III. Idipsum repetitur in Sapient. 11. 24 = Invidia diaboli, mors introivit in orbem terrarum =. II.° ad Corinth. II. 3 = Timeo, ne sicut serpens Ævam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri etc. = Conf. 1. Timoth. 11. 13 seq. coll. Roman. V. 12. seq. Joannem VIII. 44. seq. coll. I. III. 8. Apocal. XII. 9. I. Corinth. XV. 22 etc. quibus omnibus oraculis, aliisque permultis docemur, Adamum et Ævam serpentis astutia deceptos fuisse, peccasse in Deum, et e paradiso ejectos esse.

Consentiunt Patres omnes, quos citatos habetis apud theologos ex. gr. Bellarm. de Amiss. Grat. lib. III. c. 2 etc. Teste Raymundo Martino in Pug. fidei, haec semper fuit Judaeorum traditio, ut patet ex omnibus eorum monumentis, sive ante, sive post Christum.

Eadem persuasio viget apud omnes populos.

Eodem spectant quae de hortis esperidis scripserunt Graeci, quae in jeroglificis egyptianis inveniuntur; item eodem spectant fabulae Promethaei, Pandorae, traditiones Persarum de Arimane, Ormuz, Mitra, de Choream, Indorum, Synensium, Scandinavorum, Messicanorum, caeterorumque populorum omnium; unde vel ipse Voltaire fateri coactus fuit = Casum hominis fundamentum esse theologiae universalis = (Confer Nicolas, Studii filoso-

fici sul Cristian. Maizières Codice Sacro. Norden tom. 2.)

Scholion I. Etsi Origenes, more suo, nimis allegoricis interpretationibus indulgens, dixerit, serpentem tentatorem non fuisse vere serpentem, sed eo carnalem delectationem allegorice significari; quamvis et Cardinalis Cajetanus, Jahn etc. putaverint esse somnium, tamen apud omnes catholicos pro certo habetur, illum fuisse vere serpentem; si enim allegorice sumi posset, fere nullum factum in Scripturis esset quod eadem ratione explicari non posset.

Scholion II. Certissimum est per serpentem illum naturalem, Satanam Protoparentes allocutum fuisse, eosque seduxisse, ut conspicuum fit ex parall. oraculorum S. Scripturae, quae supra retulimus (Bellarminus loco cit. l. 3. c. 3).

Scholion III. Sacrum textum pervertunt Rosenmüller, Gabler, Thiess, et biblici Rationalistae, qui lapsum Adami relatum in Cap. III.° Geneseos mytice exponunt, de usu rationis, quem adeptus est. Semel hac exponendi Scripturam ratione concessa, nullius libri auctoritas servaretur, sed omnia pro libito intelligerentur. Hanc interpretationem non solum Textus ipse inspiratus, sed universalis traditio tum judaica, tum pagana, tum christiana profligant.

Scholion IV. Augustinus (de Gen. ad Litt. XI. c. 4 de Correp. et gratia c. 12, et alibi) Iracneus (lib. III. 20.) Damascenus, (11. 30) et alii causam inquisierunt, cur Deus permiserit ut Protoparentes tentarentur, et laberentur. Hoc quaerere, est mali originem quaerere, qua nil difficilius. En quae citati Patres promunt:

I.° Deus tentationem Protoparentum permisit, ob causam sibi notam.

II.° Deus non fuit injustus; siquidem protoparentes tanta gratia roborati erant, ut facile resistere possent, si voluissent.

III.° Hoc permisit Deus, ut sua omnipotentia ostenderet, se posse ex malis bona facere.

IV.° Ut sic homines gratiae donum, Dei excellentiam, suamque vilitatem clarius cognoscerent, Deoque de redemptione gratias quammaximas haberent.

Thes. II.ª Legem divinitus latam Protoparentes, gravi culpa contracta, violarunt.

Dem. Non est ambigendi locus, Protoparentum inobedientiam fuisse peccatum lethale, quod hoc pacto ostendimus.

I. Deus hanc *unicam* legem tulerat, ne comederent de fructu ligni etc., et gravissimis verbis, gravissimaque poena indicta, tulerat.

II. Haec unica lex divinitus lata facillime observari poterat, tum quia Protoparentes passionibus non vexabantur, tum quia scientiae praeclarissimae lumine ditati erant, ipsumque Deum viderant, et audierant praecipientem, et ab eo vitam *immediate* acceptam referebant.

III. Protoparentes ut totius humanitatis fontes, scandalum quammaximum intulerunt.

IV. Scire debebant effectus funestissimos, qui in filios derivandi erant.

V. Eorum peccatum fuit peccatum non solum incredibilis ingratitudinis, sed infidelitatis, ut observant S. Leo, Prosper, Augustinus, Tertullianus: crediderunt enim potius serpenti, quam Deo; fuit peccatam superbiae,

putantes se Deos evasuros, et suicidii, siquidem se ipsos *spiritualiter*, et *corporaliter* interfecerunt.

VI. Paulus pluries Adœ peccatum appellat *delictum praevaricationem* etc.

VII. Hoc corfirmatur ex effectibus; namque Concil. Millevitanum, Arausicanum et Tridentinum plurimis canonibus definiunt = Protoparentes ob culpam patratam, gratiam sibi et filiis amisisse, iram Dei incurrisse etc. = Gratia autem Dei nonnisi lethaci culpa amittitur.

VIII. Ob praevaricationem Protoparentes et eorum filii, donum immortalitatis, scientiae, immunitatis a concupiscentia, et a doloribus vitae expoliati sunt, porro tam gravis poena gravissimam culpam supponit. (Vide Bellarminum lib. 3; c. 8, 9, 10).

IX. Incarnatio Verbi constanter ut primi potissimum peccati remedium exhibetur: ergo.

Scholion. Quaerunt Doctores, utrum gravius fuerit Adae, vel Ævae peccatum. Ambrosius, et alii Patres, quos sequitur Bellarminus, existimant, gravius peccasse Adamum. Chrysostomus, et alii, quos sectatur Suarez, arbitrantur, gravius peccasse mulierem; et rationes addit S. Thomas II. q. 153 art. 4.

Thes. III.ª Sententia est theologis catholicis communis, peccatum protoparentum fuisse *proprie*, et *specifice* superbiam.

Dem. Hoc ex professo tuetur Thomas q. 2. q. 163. a. 7. eique (paucis exceptis, ut Bonaventura etc.) caeteri omnes theologi adstipulantur.

Concinit Scriptura = Initium omnis peccati superbia = (Eccles. X. 14, coll. V. 19.). Constat ex verbis ipsius tentatoris. Adde Paulum, qui peccatum Adami appellat

inobedientiam, quae necessario cum superbia nectitur, et ab ea erumpit.

Basilius (notans quod Deus non est auctor malorum) dicit = Ambitionis cupiditate deceptos Protoparentes = Augustinus de Gen. ad litt. 1, 2, c. 30. docet quod Protoparentibus *amor* propriae potestatis et quaedam superbiae praesumptio inerat = Fulgentius lib. 2. de Incarnatione et gratia c. 22 = Primus homo in superbiam est, diabolica persuasione, dejectus, et perdidit humilitatem. = Sic Chrysostomus, Prosper, Leo, etc.

CAPUT SECUNDUM

Protoparentum culpa in omnes homines derivatur.

THES. IV. Doctrinam de propagato originis peccato, deque illius effectibus in totam Adami posteritatem transfusis, disertis Scripturarum effatis adstruimus.

Dem. Pelagiani, Semipelagiani, Sociniani, et Rationalistae omnes, propagationem originalis peccati in omnes homines negant, eamque ut absurdam, et injustam traducunt; catholici autem eam ut articulum fidei profitentur.

In controversia cum Pelagianis, et Semipelagianis, Patres Ecclesiae, ad sequentia Scripturarum testimonia se recipiebant: Job. XIII. 4. iuxta Alex. versionem = Nemo mundus a sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram = juxta haebraicam veritatem = Quis dabit mundum ab immundo conceptum semine?

Non unus (mundus) etiamsi breves dies ejus sint = Psal. 4. 7. = Ecce in iniquitatibus conceptus sum etc. = ubi, psalmista non loquitur de peccato aliquo parentum, quia non peccaverunt, et ad rem non faceret. Adde Genes. VI. 5 VIII. 21; in quibus homo ut ad malum intentus ab adolescentia repraesentatur. Praeterea Confer ad Rom. III. 23. = Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei = II. ad Cor. V. 14. 5. 1. Cor. XV. 22. = Sicut in Adam omnes morinnitur etc = ad Gal. III. 22., ad Ephes. II. 3. = Eramus et nos *natura* (φεσιν) filii irae. = Haec omnia statuunt:

a) Omnes homines peccatores esse: *b*) Etiam infantes. Ergo *c*) peccatum hoc universalissimum, non ex voluntate uniuscujusque, sed ex ipsa natura esse repetendum.

At classicum est testimonium Pauli ad Romn. V. 12 seq., quo Augustinus et caeteri Patres contra Pelagianos constanter usi sunt: = Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors per transiit, in quo omnes peccaverunt (ημαρτον). Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituuntur multi. = Quibus positis verbis, ita arguimus:

a) Docet Paulus, per unum hominem (Adamum) peccatum in mundum ingressum esse, quod omnes homines peccatores constituit: hoc autem peccatum vel *actuale*, vel *originale*, esse debet: non potest esse *actuale*, si-

quidem et infantes moriuntur (et idcirco moriuntur, quia peccatores sunt, ut docet Paulus), qui voluntate *propriu* et *actuali* carent: ergo non est peccatum *actuale*; restat igitur, ut sit *originale*, seu cum ipsa *origine* vel natura conjunctum.

b) Docet Paulus, quod sicut per unum hominem (Adamum) peccatum in mundum intravit, et per peccatum mors; et sicut per unius delictum (Adami) in omnes homines in condemnationem, ita et per unius (Christi) justitiam in omnes in justificationem vitae. Atqui per Christum non per imitationem, per imputationem, sed *vere active* regeneramur, sanctificamur, peccato deleto: ergo et per Adamum *vere* et *active*, non per solam imitationem vel imputationem peccatores constituimur: secus enim tota comparationis ratio inter Christum et Adamum subverteretur, quam Paulus toties urget.

c) Doctore Paulo, peccatum aliquod in mundum per primum hominem intravit; porro hoc peccatum vel intravit per *imitationem*, vel per *positivam transfusionem*; si autem peccatum per *imitationem* ingressum fuisset, Paulus rectius dixisset: peccatum per angelum ingressum est in mundum, quandoquidem angelus, non Adam, primus peccaverit, et peccati exemplum primus dederit.

d) Non citra verisimilitudinem idipsum suadetur ex particula graeca δια, quae in casu gignendi, prout hic occurrit (δια ενοσ ανϱοπου η οαμαρτια κ. τ. γ) *caussalis* est, proindeque Adam ut vera causa peccati exhibetur, ad exclusionem pelagianae sententiae, quae defendit, peccatum Adami per imitationem transfusum.

e) Juxta Paulum, peccatum est causa mortis, ut A-

dam ipse est causa peccati (v. 12); atqui peccatum est vere mortis causa, et non per solam imitationem, sed *proprie* et *active* est peccati causa.

f) E φ ω παντες ημαρτον dicit Paulus: in *quo* omnes peccaverunt: illud pronomen in *quo* (εφ ω) refertur ad nomen aliquod praecedens: nomina praecedentia tria sunt: *peccatum*, *mors*, *Adam*: pronomen *in quo* non refertur ad αμαρτιαν (peccatum), quia graece αμαρτια est geeneris faeminini, pronomen ιο masculini vel neutri: non refertur ad mortem (θανατον), quia ridiculum foret dicere; in quo (morte) peccaverunt omnes: ergo per exclusionem pronomen refertur ad Adamum: ergo in Adam omnes peccaverunt, qui moriuntur: atqui moriuntur et infantes: ergo et ipsi peccaverunt in Adamo: ergo non imitatione, sed vera propagatione omnes in Adamo peccatores constituuntur.

Respuenda hic est interpretatio Erasmi, qui illud εφ ω vertit *quatenus*, *eo quod*, quia *nova*, quia *ignota* Chrysostomo, Œcumenio, Theophilo, qui optime graecum noverant: caeterum probatio nostra maneret, quia semper illud fixum esset, omnes in Adamo peccasse.

h) Rursus Paulus dicit, quod per delictum Adami judicamur seu damnamur: per gratiam Jesu Christi ex multis delictis (peccatis etiam actualibus) liberamur: comparatio ista inter *unum delictum* Adami, quo damnamur, et plura delicta, a quibus per Christum solvimur, probat, illud primum delictum verum esse delictum, sicut et caetera.

h) Paulus demonstrandum sibi proponit, omnes homines, judaeos et gentiles gratia Christi indigere, eaque indignos esse: si peccatum hoc Adami, de quo loquitur,

esset commune omnibus per solum imitationem, non per veram propagationem, argumentum Apostoli nullius esset momenti. Denique;

i) Peccatum istud, de quo Paulus, est commune omnibus, at peccatum per imitationem non est omnibus aeque commune; ergo.

Haec interpretario authentico et infallibili commentario roboratur: sic enim locum Pauli interpretantur Patres Millevitani et Aransicani, et serius Tridentini, qui (sess. V. c. 2) illum damnant, qui dicit, peccatum Adami non transfundi; *cum contradicat* apostolo dicenti, per unum hominem peccatum etc. Et can. 4 statuentes baptismi necessitatem etiam quoad infantes, subjungunt: = Quoniam non aliter intelligenum est id, quod dicit Apostolus: per unum hominem etc. nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. =

Thes V. Eadem dogmatica veritas statuitur: 1. Auctoritate patrum, eorum nominatim, qui ante Pelagium florueunt: 2. Plurimis rationum momentis ex sacra lirurgia et ex populorum omnium traditionibus ductis: 3. Postremo solemnissimis Ecclesiae definitionibus firmatur.

D. 1. p. Patrum tantum, qui floruerunt ante Pelagianam controversiam, citamus testimonia, ex quo quisque intelliget, cujusmodi posteriorum Patrum doctrina esse debuerit. In Gallia Ireneus l. V. c. 17 = Delevit (Christus) chirographum, affigens illud cruci, ut quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus debiti remissionem. =

In Africa Tertullianus de anima c. 40. = Omnsi

anima in Adam censetur, donec in Christo recenseatur; tamdiu immunda, quando recenseatur; peccatrix autem quia immunda. =

In Agypto Origenes hom. 8. in Lev. = Quaecumque anima in Christo nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur etc. =

Chrysostomus ad neophitos = venit semel Christus: invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam: ille initium induxit peccati. nos foenus auximus posterioribus peccatis = Confer Basilium in psal. 32, Hilarium in psal. 118, Cyrillum hieros. cat. 2. Naz. or. 3, Ambrosium ap. Davidis c. II. etc.

D. 2. p. Ex innumeris monumentis constat, semper, ubique in Ecclesia infantes baptizari consuevisse in remissionem peccatorum. Vide symbola, Canones Conciliorum, ritualia etc. Porro necessitatis baptismi alia nunquam ratio reddita fuit, aut reddi potest, quam firmissima fides de peccato originali.

Praeterea jam inde ab apostolica aetate Ecclesia exorcismis, insufflationibus ad daemones abigendos, etiam in infantibus usa est; hae autem coeremoniae, quae adhiberi solent ante baptismum infantium, supponunt, daemones quandam potestatem etiam in infantes exercere. (Confer Augustinum c. Julianum l. VI. c. 2. Coelestinum epist. ad Gallos etc).

Rursus; circumcisio, docentibus Gregorio Magno, Augustino, Innocentio III. instituta fuit vel ad originale peccatum tollendum, vel ad purgationem praefigurandam. Ergo. —

Confirmatur ex pacifica et constanti hujus persuasio-

nis possessione, quae necessario supponit priscam de hac veritate revelationem.

Demum hujus originalis maculae traditio apud omnes populos viguit et viget (Cof. Nicolas op. c. vol. 2. — Roselly Morte anter. etc).

D. 3. p. Prepagatio originalis peccati a plurimis Conciliis particularibus et oecumenicis definita fuit. Omissis Carthagensi, Toletano VI. Aransicano II. satis sit Millevitani et Tridentini canones recoluisse. Millevitanum can. 2: = Placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos quidem baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur, anathema sit. =

Tridentinum sess. V. c. 2. = Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit nocuisse et acceptam a Deo justitiam et sanctitatem, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse: aut inquinatum illud per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, anathema sit. =

Difficultates omnes, quae ex Patribus peti possunt, nominatim ex Clemente alex. Joanne Chrysostomo, Cyrillo, Theodoreto etc. facile diluuntur, dummodo haec animadvertantur:

1. Peccatum hoc originale non esse confundendum cum actualibus: idcirco quando Patres quandoque dicunt, homines nasci sine peccato, innocentes, etc. intelligunt sine peccato propriae voluntatis, actuali, etc.

2. Patres rejicientes commentum Origenistarum de

praeexistentia animarum earunque peccato in altera vita, visi sunt negare originale peccatum.

3. Patres dicunt, infantes, vel sine baptismo homines non damnari etc. at hoc unum affirmare volunt, peccatum originale privare quidem bonis supernaturalibus minime vero naturalibus.

Difficultates ex ratione depromptae evanescunt, statuta originalis peccati natura, de qua in capite quarto.

CAPUT TERTIUM

B. Virgo Maria ab omni originalis culpæ labe immunis servata fuit.

Thes. VI. Propria et vera Immaculatae Virginis Conceptionis idea statuta, eam ab originali labe illaesam servatam fuisse, ex ss. Litteris ostendimus.

D. I. p. Universalissima lex, qua fit, ut omnes homines originale peccatum contrahant, exceptionem patitur, quod ad Virginem Mariam attinet: non loquimur de Christo, qui, cum sit Deus-Homo, peccati capax non est.

Ut ordine procedamus, immaculati Virginis conceptus determinemus notionem. Porro haec importat:

1. Ut anima Virginis Deiparae a culpa originali praeservata credatur in illo primo temporis momento, quo creata et corpori conjuncta fuit, quandocumque id contigerit. Ex quo. 2. liquet catholicos omnes non *activam* sed *passivam* conceptionem Virginis spectare, seu tempus, quo anima corpori copulata fuit. Quae Virginis immunitas ab originali labe 3.° in eo sita est, ut anima non solum culpae expers credatur, sed Spiritus

S. gratia sanctificante copiosissime ditata. Aliis Verbis: Virginis anima (anima enim sola culpae vel gratiae sanctificantis capax est) nunquam exstitit, quin sancta exstiterit: unde Illi creari et sanctificari unum idemque fuit.

D. II. p. Sepositis illis Scripturae Sacrae oraculis, quae Patres Virgini accommodant, ut Isaiae X. 1. toto libro Cantic. Proverb. VIII. 9. seq. Eccl. XXIV. Psalmo 44 10 17 Psalmo 45, 5, 6, Psalmo 131 8 — 13 etc. operae pretium est typos biblicos, quos majores nostri vel Ecclesia de Virgine interpretata est, in medium proferre.

Virgo dicta fuit templum *semper sanctum*, non auro, sed Spiritu S. fulgens (Damascenus), *templum immaculatum* (Basilius): dicta fuit *tabernaculum sanctum, sanctissimum, dignum Deo*: dicta fuit *altare sanctum, panis vitae*: appellata *mensa incontaminata*, *arca intus et foris deaurata*, *divinitus fabricata*, *peccato inaccessa; candelabrum perpetuo lumine collustratum*, *semper lucescens; vas, in quo nihil nisi aurum refulget; germen semper virens et florens; terra maledicto non obnoxia, nulla peccati spina horrens; rubus a passione peccati purus; paradisus a serpentis insidiis inculpatus servatus; Ester, pro qua lex mortis non est facta; Judith, quae hostem vicit* etc. quae omnia et alia plura duo stabiliunt, nempe: a Virgine quaelibet maculae vel levissima idea arcenda est, eique plenitudo gratiae divinae semper asserenda.

Neque hic praetereuda sunt verba Archangeli (Luc. I. 28.): = Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, = et 30. = Ne timeas, Maria, in-

venisti enim gratiam apud Deum, = et verba inspiratae Elisabeth 42. = Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui, = quibus Virgo praedicatur nova et insolita penitus ratione ut donis et praerogativis eximiis cumulata, ut benedicta inter omnes mulieres, ut plena gratia, ut ea, quae gratiam invenit, et una cum fructu ventris sui benedicitur etc. quae tum in se, tum potissimum juxta Patrum doctrinam, liturgica mouumenta et cathechismos accepta, Immaculatum Virginis Conceptum extra dubitationis aleam collocant. (Passaglia op. de Immaculata Virginis Conceptione v. II. pag. 1010, 1046, 1080). At classicus locus est ille Geneseos III. 10 = Inimicitias ponam (sic Deus alloquens serpentem) inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus =

Prae oculis in primis habeamus occasionem, qua Deus haec verba protulit: haec dixit, quando serpentem et praevaricatos protoparentes damnabat, et hominibus remedium promittebat, ut Judaei et christiani fatentur. Nunc ad explicationem accedamus.

a) Semen mulieris, de quo hic sermo, certo est Messias promissus, Christus Dominus; quia respondet biblicis illis locutionibus, *in semine tuo benedicentur omnes gentes terrae*, — *donec veniret semen cui promiserat*, — *in semiue David* etc. quae de Christo intelligi debent; et quia semen istud vel saltem una cum muliere victoriam de daemone reportaturum erat.

b) Si semen est Christus, mulier, de qua loquitur Deus, Virgo est; quia talis est catholicorum interpretatio; quia non potest esse Heva, quae praesens erat

et non futura, quaeque non inimica, sed amica serpenti erat, quaeque male omnino hic cum semine, seu Christo juncta fuisset: mulier igitur est Virgo, semen Christus.

c) Porro Deus vaticinatur, fore ut inimicitiae inter diabolum et Christum, diabolum et Virginem exstiturae sint: inimicitiae igitur Christi et Virginis contra seductorem communes sunt eodemque gradu collocantur: at inimicitiae Christum inter et diabolum *perpetuae*, *plenae*, *perfectissimae* sunt, siquidem Christus nunquam fuerit vel esse potuerit diaboli amicus et peccati servus: atqui tales sunt et inimicitiae Virginis contra serpentem, scilicet *perpetuae*, *plenae* et *perfectissimae*, quandoquidem cum Christi inimicitiis confundantur: ergo et Virgo numquam Satanae amica, seu peccatrix; ergo et ab originali labe immunis, ut Christus credi debet.

d) Pronomen *ipsa*, vel *ipsum* referri debet vel ad Virginem, vel ad semen: vulgata, quae est lectio omnium gravissima, pronomen ad Virginem refert: hac posita lectione, argumentum supra prolatum gravius urgetur ita: exitus inimicitiae Virginis et serpentis erit, ut Virgo serpentis caput conterat, hoc est plenam referat victoriam: verum, si Virgo originalis maculae infecta fuisset, non Virgo serpentis venenatum caput, sed serpens Virginem contrivisset: quae observatio eo vel maxime urgenda est, cum hic semper antithesis inter mulierem et Hevam attendi debeat: Heva una vice contrita fuit a serpente, et illico ipsius amica facta est: si et Virgo una tantum vice a serpente superata fuisset, cum Heva confunderetur. neque amplius Heva et Virgo opponerentur, ut oratio poscit.

e) lectio fortassis verior ea est, quae pronomen ad semen seu Christum refert, quia hoc magis convenit tum *philologice*, tum *theologice*: *philologice*, quia pronomen communiter refertur ad ultimum nomen, quod est semen: *theologice*, quia rectius de Christo dicitur: *conteret caput tuum*, cum ipse virtute propria, non aliena, ut Virgo, serpentem debellat. Sed

f) quidquid sit de hac lectione, argumentum supra expositum semper intactum manet, quia hujus inimicitiae Christi et Virginis exitus ejusmodi est, ut uterque de hoste simul triumphet, licet Virgo Christi virtute daemonem conterat.

g) Commentarius noster, non modo majorum auctoritate non evertitur, verum eorum enarrationibus egregie confirmatur, (Cf. Iraeneum, Justinum, Origenem etc. apud Passaglia op. cit. v. 3 p. 812-926), theologorum et interpretum consensione roboratnr, liturgicis ritibus, imaginibus depictis et sculptis etc. illustratur.

Thes. VII. Eadem veritas majorum nostrorum maximo suffragio confirmatur, et solemnissima Ecclesiae definitione stabilitur.

D. Ne unus fortassis est Pater, qui *directe* vel *indiretcte* Immaculatae Virginis Conceptioni non faveat; quorum testimonia referunt theologi, inter quos videri possunt Perrone, Ballerini et longe fusius Carolus Passaglia op. cit., cujus operis bulla dogmatica = *Ineffabilis Deus* = compendium quoddam exhibere videtur.

Apposita, quibus Patres Virginem designant, alia sunt *negantia* et alia *affirmantia*. En praecipua apposita negantia. 1.° Virgo Maria praedicatur *Immaculata* = Hodie columba illa *immaculata* in templi penetralia e-

volans, malitiae *aucupem*, devitavit = (Georgius Nicom. or. 4). Sic Damascenus Bernardus, Concilium Toletan. XI. etc.

2.° Dicitur *intemerata* = *Intemerata* Dei Agna . . . videns hodie Agnum Dominum etc. . . . . Pleno gaudio, o undequaque immaculata, perfunderis (Georgius Nicomed.) = Sic Andreas Gretensis, Theodorus studites orationes eccles. etc.

3.° Dicitur *intacta* = Salve Maria, (sunt verba Cyrilli alex.) virgo mater, lucifera, *intactum* vas = (Sic Gregorius Neocaesar; Sophron., Sedulius, Theodorus Studites).

4.° Dicitur *impolluta* = Missus est, ait Gregorius Neocaesarinsis or. 3, servus incorporeus (angelus) ad *impollutam* Virginem. Missus est a peccato liber ad Eam, quae capax corruptionis non erat = (Animadverte comparationem inter angelum ejusque innocentiam originalem et Mariam.)

5.° Dicitur *inculpata* = Christum in lignum exaltatum voluntarie conspiciens *inculpata illa*, exclamabat etc. (Sic s. Germanus et alii.)

6.° Dicitur *illaesa* = Intemerata Agna, illaesa Verbi Virgo Mater. = S. Ignatius Constantin. etc.

7.° Dicitur *incorrupta* = Primogenitus puellae *incorruptae* etc. = Cosmas monach. etc.

8.° Dicitur *intaminata* = O *intaminata* Domina . . . portus tempestate jactatis etc. = Andreas Cretensis, Damascenus, Basilius, Seleuc., Sophronius etc.

9.° Dicitur *illibata* a Damasceno, Methodio, Origene, etc.

Observandum est, hujusmodi apposita *negantia* usur-

pata esse a Patribus *superlativo gradu* et *cumulative*, ut ajunt, eaque ratione, ut perspicuum sit praeterquam desiderari possit, eos a Virgine summa diligentia omnem vel levissimae culpae *umbeculam* cujuscumque generis arcere voluisse. Ergo.

Succedunt apposita *affirmantia*, cujusmodi sunt, — *sancta, sacra, veneranda, innocens, pulchra, speciosa, gratia plena, benedicta, beata*, etc. — et quidem *superlativo gradu*, additis non infrequenter adverbiis = *prorsus, semper, omnino, tota* etc. — ita ut eadem pene praedicentur *apposita* de Virgine, quae ad Dei munditiam significandam usurpari solent. Ex quibus omnibus intelligimus:

1.° Virginem coelestibus et terrestribus creaturis omnino longe antecellere.

2.° Soli Deo secundam esse.

3.° Ita sanctam, puram, innocentem, pulchram esse, ut ab ea quaelibet culpa amandanda sit, proindeque ipsam neque originalem labem incurrisse.

Accedunt alia argumenta, exempli gratia:

1.° Fides et unanimis christianorum consensio, quae nostra aetate mirum in modum resplenduit.

2.° Institutio diei festi Immaculati Virginis Conceptus, quae in Oriente Saeculo VII. vel VIII. et in Occidente paulo post coepisse videtur.

3.° Eodem pertinent liturgiae antiquissimae, orationes, inscriptiones, cantica, hymni, qui in Ecclesia praesertim Orientali cani consueverunt.

4.° Basileense Concilium hanc veritatem definierat, et, licet definitio omni robore destituta fuerit, eo quod

Concillium illud in schisma lapsum fuerit, tamen fidem Ecclesiae aliquo modo manifestabat.

5. Accedunt verba Tridentinae Synodi, quae expresse declaravit (Sess. V.ª) = Non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem etc.

6.° Eodem spectant constitutiones SS. Pontificum Pauli V, Gregorii XV, Xisti IV, Urbani VIII, Clementi X, Innocentii XI, Alessandri VII, Clementis XI, qui omnes prohibuerunt contrarium docere, scribere, defendere in lectionibus, concionibus, actis publicis vel etiam scriptis privatis asserere etc.

Cum autem haec doctrina tot tantisque monumentis biblicis et ecclesiasticis demonstraretur, tanta Doctorum et Ecclesiae, praesertim matris, consensione firmaretur, nihil mirum, si s. Pontifex Pius IX. votis annuens, eam solemnissima definitione credendam proposuerit in Bulla dogmatica = *Ineffabilis* = die VIIIª Dec. 1854. = Definimus, doctrinam, quae tenet: Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.

Thes. VIII. Virgo Deipara ab omni originalis culpae labe immunis praeservata fuit singulari Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Domini.

D. Sicut de fide est, Virginem illaesam servatam fuisse a culpa originis, ita de fide est, hoc non meritum, sed

privilegium fuisse, vel donum Dei gratuitum, intuitu meritorum Christi collatum.

Sane: 1.° Hoc in Bulla disertis verbis definitur.

2.° Hoc monumenta supra allata probant: originem enim Virginis peccati expertem fuisse dicunt eo, quod mater Verbi futura erat etc. cum autem electio ad dignitatem Genitricis Dei gratuita prorsus fuerit, et immaculatae conceptionis donum, quod cum ista penitissime copulatur, gratuitum esse debuit: unde Patres dicunt, Virginem a Filio *mundatam, purgatam, sanctificatam* anima et corpore, ut Hieronymus, Nazianzenus, etc.

3.° Divinae Litterae docent, *gratiam* per Christum factam fuisse, per Christum omnes vivificari, resurgere, Christum omnia in omnibus operari, per Christum omnes salvari, Ipsum esse viam, veritatem, vitam, ostium, unicum mediatorem etc. Ergo et Virgo sanctificata fuit a Christo in ipsa Conceptione etc.

4.° Virginem nec potuisse mereri gratiam sanctificationis in ipsa sua Conceptione, sed per Christum venturum habuisse, liquet ex dictis de gratia primi hominis, ubi diximus, gratiam non deberi naturae, neque operibus seu meritis, quae gratiam primam praecedere non possunt etc. Ergo. —

Plures dfficultates, quae opponi solebant, sequentibus generalibus observationibus expediri facile possunt.

1.° Quando Scripturae et Patres dicunt, Christum solum innocentem et sanctum fuisse, caeteros omnes peccatores, nemine excepto, hoc unum significant, Chrystum sanctum semper fuisse *necessitate naturae*, et *vir-*

tute propria, Virginem non necessitate naturae, vel virtute propria, sed ex privilegio Christi.

2.° Locutiones Patrum — Virgo mundata, purificata fuit etc. — ita intelligi debent: purgata; mundata a Christo *præcedenti applicatione meritorum suorum*; seu Christus effecit, ut Virgo culpam non incurreret: sic et Bernardus dicit, angelos a Christo redemptos, quatenus meritis Christi factum est, ut angeli non laberentur.

3.° Locutiones illae: — Virgo haereditatem Hevaee habuit, mala fuit origine, maculata etc. — referuntur ad conceptione *activam* non *passivam*.

4.° Quod attinet ad epist. Bernardi ad canonicos Lugdunenses, observamus, eam non pertinere ad Bernardum, neque simpliciter negare veritatem catholicam, sed solum privatorum arbitrium in festo instituendo reprobare.

5.° Quoad Thomam, respondemus: fortassis Thomas dixit, Virginem maculatam conceptione *activa*, non *passiva*: caeterum Thomas in 1. Sent. dist. 44. a. 3 scribit: = Talis fuit puritas Beatae Mariae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit. = Quo pacto haec componi possint cum iis, quae in Summa scripsit, nescimus; quidquid sit, nobis non probatur eorum opinio, qui dicunt, opera Thomae corrupta fuisse, quod impossibile omnino videtur.

CAPUT QUARTUM

De natura originalis peccati.

Thes. IX. A veritate catholica deflectunt, qui essentiam originalis peccati sitam esse contendunt in *forma quadam substantiali mala,* qua fiat, ut peccatum non tam animae inhaereat, quam sit ipsa anima.

D. Illyricus Flaccus Mathias, cui Lutherani plerique, ipseque Lutherus subscribunt, docet, originalem culpam esse formam quandam substantialem corruptam: animam rationalem per peccatum adamiticum totam esse corruptam, et in ipsius diaboli imaginem transformatam: Lutherus dicit, animam totam esse vitiosam, et foetum esse ipsum peccatum.

Haec est doctrina haeretica. Et sane.

1.° Paulus in I. ad Timotheum dicit, *omnem* Dei creaturam bonam esse: profecto si quid in hominis natura malum *intrinsece* haberetur, jam non amplius *omnis creaturae* bona dicenda foret.

2.° Dubio procul, Deus est rerum omnium, proindeque etiam animarum, creator: atqui si ipsa anima *substantialiter* corrupta et mala esset, consequens foret, Deum esse mali effectorem, quae est sententia manichaea et aperte absurda. Ergo.

3.° Repugnat dicere, diabolum animam humanam *substantialiter* corrupisse; esset enim naturae destructor quod solius Dei est, cum Deus solus sit creator.

4.° Est fidei articulus, homines in ipsa anima et carne, quas nunc habent, in altera vita resurrecturos

esse: verum, si natura humana prorsus deperdita, corrupta et mala esset per peccatum, nullatenus eadem resurgere posset. Rursus:

5.° Definitum est, non omnia opera eorum, qui baptismo regeniti non sunt, esse peccata, ipsos que paganos et hebraeos quaedam naturaliter bona facere posse: hoc autem admitti non posset ab eo, qui tueretur originale peccatum totam corrupisse naturam. Ergo.

6.° Baptismus originale peccatum penitus aufert: igitur in sententia lutherana ipsam substantiam auferret, et aliam substituere deberet: nihil autem hujusmodi. Ergo. Denique:

7.° Verbum nostram assumpsit naturam, ut eam sanaret; si vero mala fuisset, eam sumere non potuisset.

Unde Hieronymus ep. ad Clesifont. et Augustinus l. 7. Confess. Basilius, Nazianzenus et alii Patres declarant, se non dicere malam naturam humanam peccato originali infectam, etc.

Difficultates petitae ex Genesi, ubi omnis cogitatio hominum ad malum intenta dicitur, ex Paulo, qui docet, homines irae filios etc. facile solvuntur, dummodo animadvertatur, hic sermonem esse de actu malo, minime vero de mala substantia, et homines, irae filios dicit Paulus, eo quod peccato obstringuntur, neque in eo statu inveniuntur, in quo Deus collocatos eos volebat.

Thes. X. Item a catholico praescripto abhorret alia novatorum doctrina, quae affirmat, originale peccatum ipsam esse concupiscentiam, quae tamen credentibus non imputatur.

D. Lutherani omnes dicunt: peccatum originale esse ipsam concupiscentiam, vel illam facultatum omnium inor

dinationem, cui nos obnoxios esse sentimus; et latius peccatum originale explicantes, dicunt, illud esse tenebras in intellectu, aversionem a Deo in voluntate, et facultatum omnium inordinationem, sensuum rebellionem; insuper docent, quod eorum principio necessario cohaeret, peccatum originale etiam post baptisuum totum remanere, quamvis non imputetur. Haec est doctrina haeretica.

Concupiscentia non est peccatum. Jacob. ep. c. 1. 14: = Unusquisque tentatur a concupisceutia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. = Ergo concupiscentia: 1. tentat: 2. allicit, delectat, etc. 3. si concupiscentiae morem gerimus, oritur seu concipitur peccatum etc. Ergo hic concupiscentia repraesentatur ut allicens, trahens ad peccatum, non ut peccatum.

Confer Paulum ad Rom. VII. 7 - 21; hic Paulus loquitur de concupiscentia, quam quidem peccatum iterum atque iterum appellat, sed sensu improprio, ut explicat Tridentinum, quia dicit, hoc peccatum esse etiam in justificatis, neque hominis opus esse, quia non in *anima* sed in *carne* vel corpore passim residere dicitur; peccatum autem nequit esse in corpore.

Praeterea Paulus ad Rom. VIII. 1. scribit, quod in iis, qui sunt in Christo Jesu (per baptismum vel regenerationem) nihil est damnationis, nihil est, quod infernum mereatur: atqui concupiscentia in regenitis manet: si vera igitnr esset lutherana opinio, in regenitis aliquid damnationis superesset, quod diserte negat Paulus. Ergo.

Rursus: Scripturae nos docent, homines per baptismum *regenerari*, *renovari*, *renasci*, *mundari*, *fieri no-*

vam creaturam, ab omni peccato mundari, peccato mori etc. ergo post baptismum nullum peccati proprie dicti vestigium remanet: atqui concupiscentia manet: non est igitur peccatum.

Ex Patribus duos seligam. Chrysostomus hom. 19. ad Populum antioch. et hom 13. in Rom.: = Passiones in se peccatum non sunt: effrenata vero eorum immoderantia peccatum operata est..... concupiscentia quidem peccatum non est; quando vero egressa modum foras eruperit, adulterium fit etc. =

Augustinus retract. l. 1. c. 15 = Hoc peccatum (de quo Paulus ad Rom.) ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, et poena peccati est etc. = Alibi dicit concupiscentiam *innocuam* non consentientibus, *sine culpa* etc.

Neque sequentes observationes omittendae sunt:

1. Concupiscentia *materialiter* cohiberi non potest quod autem non potest cohiberi, quodque ideo non pendet a voluntate, peccatum *proprie* nefas est dicere.

2. Concupiscentia, ut supra ostendimus, est propria humanae naturae, et ex suis principiis, ut ait Thomas, oritur: quis igitur peccatum dicere audebit, quod ad ipsius naturae constitutionem spectat?

3. Baptismus nihil foret, et Christus nobis non profuisset.

4. Homines baptizati essent eodem tempore boni et mali, sancti et peccatores etc.

Accedit denique Tridentini definitio Can. V. sess. V. = Si quis per Jesu Christi Domini gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod ve-

ram et propriam peccati rationem habet; sed dicit, illud tantum radi, aut non imputari, anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo etc . . . . Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec S. Synodus fatetur et sentit: quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet. . . . Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, s. Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccatu est, ed ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit. =

Haec luculentissima sunt.

Objectiones ex Scriptura vel ex Patribus depromptas, quas Protestantes magno numero collegerunt, solvit Bellarminus praesertim lib. V. de amissione gratiae c. XI. — Solutio omnium difficultatum revocatur ad distinctionem, quam Tridentinum exhibet; scilicet concupiscentia dicitur peccatum, quia a peccato est *historice*, et ad peccatum inclinat, vel quia, juxta Thomam, nunc est peccati originalis veluti pars materialis etc.

Thes. XI. Inter errores recensenda est quorundam theologorum opinio, culpam originalem nihil aliud esse, quam: 1. externam imputationem primi peccati, qua universa Adae posteritas peccatrix denominatur, vel 2. relationem peccatoris, quae genus humanum propter Adae inobedientiam comitatur.

Dem. Albertus Pighius, Ambrosius Catharinus, et alii pauci catholici theologi tuebantur, peccatum originale

nihil esse, quod homini inhaereat, sed esse quandam externam relationem vel denominationem: peccatum quidem protoparentes *intrinsece* coinquinavit, in ipsis enim peccatum personale fuit: nos autem, qui a parentibus peccatoribus originem ducimus, peccatores sumus *externa* denominatione: non igitur peccato proprie dicto tenemur, sed peccatum dicimur habere, quia peccatoris filii sumus.

Est sententia non solum falsa, sed *saltem materialiter* haeretica.

Tridentinum sess. V. definivit: = Si quis dixerit, illum (Adamum) per inobedientiae peccatum mortem et poenas in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum, quod mors est animae, anathema sit. = Alibi statuit: = Peccatum transfundi, non imitatione, sed propagatione, et veram peccati rationem habere. = Esse unicuique proprium, inhaerere animae etc. = In sententia, quam refutamus, nihil transfunditur, nihil inhaeret, nihil est, quod peccati veram et propriam habeat rationem. Ergo.

Insuper nihil significarent locutiones illae biblicae et ecclesiasticae: *homines natura filii irae, peccatores, impii, filii diaboli, corrupti* etc. per baptismum nihil tolleretur etc.

Accedit, quod falsa esset antithesis a Paulo toties inter Christi gratiam et Adami peccatum instituta: de fide enim est gratiam Christi non esse simplicem denominationem, vel imputationem, sed positivae justitiae, divinique doni infusionem: ergo et Adam aliquid in nobis propagavit, quod vere peccatum est. Unde merito Augustinus docet (l. 2 denuptiis et concupisc.), pecca-

tum Adami nostri caussam esse: illud actuale in Adamo voluntarium originalis esse caussam etc. Ergo.

Denique nulla esset vera in infantibus renovatio, regeneratio, nulla intrinseca justificatio per baptismum, sed imputationis ablatio, quae omnia cum theologorum omnium, Scripturae et Ss. Patrum loquendi ratione componi nequeunt.

Totum Pighii et Catharini argumentum huc redit: peccatum est actus voluntarius malus; sed homo nascens nullum elicit actum malum voluntarium: ergo peccatum originale eatenus contrahitur, quatenus origo a peccatore repetitur.

Hoc argumentum nihil aliud est, quam confusio originalis et actualis peccati: ut contrahatur originale peccatum, ut statim ostendemus, requiritur quidem actus malus Adami, in quo voluntarius fuit, sed non requiritur actus voluntarius personalis omnium et uniuscujusque hominum, cum originale peccatum nihil aliud sit, quam privatio illius gratiae, qua homo ornatus esse debebat. (Bellarminus lib. cit. 7 cap. 16 = Suarez t. IV. p. 350).

Thes. XII. Relinquenda pariter est eorum doctrina, qui tradunt, peccatum originale esse *qualitatem quandam morbidam corruptae naturae inhaerentem*, vel *aliquid positivum cum privatione conjunctam.*

Dem. Peccante Adamo, factum est, ut ipsius voluntas quidam qualitate morbosa ad creaturas inclinante inficeretur: ex hac qualitate morbosa voluntatis alia qualitas morbosa in corpus Adami redundavit: deinde per corpus Adami generatione in filiorum corpora pertransiit: corpus autem filiorum, hac *morbida qualitate*

affectum, animam momento, quo fit conjunctio, inficit vel maculat. Anima per corpus hac qualitate infecta, ad creaturas se convertit, et a Deo avertitur, et en originale peccatum. Sic docere visi sunt Lombardus, Driedo, Gregorius Arimin., Bajus, qui ad Augustinum provocant.

1. Haec *morbida qualitas* unde proficiscitur? Non est *quid substantiale*, secus manichaea esset sententia: non ab homine neque a serpente, neque a pomo gustato derivari potest.

2. Nullum hujus opinionis vestigium sive in Scripturis, sive in traditione.

3. Anima sola tum peccati, tum gratiae capax est, nullatenus autem corpus: in hypothesi, quam respuimus peccatum *immediate* in corpore collocaretur: unde haec hypothesis repugnare videtur, vel saltem intelligi non potest.

4. Quomodo autem haec *morbida qualitas* corporis a parentibus baptizatis in filios transire potest, cum baptismus quidquid peccati rationem habet, ut docet Tridentinum, destruat?

5. Refragatur Scholae fere universae.

Cajetanus et quidam alii arbitrantur, originale peccatum esse privationem quandam cum *aliqua re positiva* conjunctam.

De privatione nemo est qui dubitaverit, vel dubitare possit, ut infra ostendemus: at falsum est dicere, peccatum originale situm esse etiam in *aliqua re positiva.* Hoc *aliquid positivum*, sic urget Suarez vol. IV. p. 352, vel est in anima, vel in animae potentiis. Sed anima est bona, et bona esse debet, ne in manichaeismum

abamur: idipsum dicimus de potentiis, substantia quelaliter ab anima non distinguuntur. Praeterea non dicunt patrocinatores hujus sententiae, quid sit istud *positivum* quod una cum privatione gratiae peccatum originale constituit. Argumenta supra allata contra ultimam opinionem egregie huc quoque faciunt. (Bellarm. l. V. et Suarez loc. cit.).

Thes. XII. Vera ratio originalis peccati continetur in privatione gratiae, et justitiae, quae pro statuto divinitus ordine, omnibus Adami filiis inesse debebant.

D. Haereticis, falsis et improbabilibus circa naturam originalis peccati sententiis, quae vera est, nobisque probatur, defendimus.

Dicimus igitur, originalem culpam sitam esse in privatione gratiae, charitatis, justitiae originalis, quae, ita Deo volente, in homine esse debebant. Et ita adstruimus:

a) Si opiniones omnes supra memoratae vel rejiciendae sunt ut haereticae, vel relinquendae ut falsae et ut improbabiles, restat ut nostra recipiatur, cum apud theologos nulla alia occurrat.

b) Juxta Tridentinos et Arausicanos Patres et theologos omnes catholicos, peccatum originale est *mors animae*: mors autem animae nihil aliud est, quam vitae animae oppositum; vita animae est gratia sanctificans: mors igitur animae est ipsius gratiae defectus vel privatio, sicut in ordine naturali mors corporis est naturalis vitae carentia. Ergo peccatum originale est sanctificantis gratiae privatio.

c) Per baptismum originale peccatum penitus deletur; quid autem baptismus in homine aufert? Aufert non

substantiam, vel qualitatem aliquam, sed gratiae privationem, ipsa infusa sanctificante gratia. Ergo.

d) Peccatum originale in nobis optime dici potest habituale: nascimur enim in eo statu, in quo Adam post inobedientiam, vel illam actualem culpam, permansit. Peccatum autem habituale in Adamo erat habitualis privatio gratiae, qua ad Deum supernaturali ratione tendebat: ergo peccatum originale in nobis est ipsa gratiae sanctificantis privatio.

e) Egregie Anselmus de Concept. Virginis et peccato originali c. 25, 26: = Quod in infantibus non est justitia, quam debent habere, non hoc facit illorum voluntas personalis, sicut in Adam, sed egestas naturalis, quam ipsa natura accepit ab Adam.... Persona spoliavit naturam bono justitiae in Adam: et natura egens facta, omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et injustas facit. = Quare, juxta Anselmum, huc redit peccatum originale, ut non sit in infantibus justitia, et hoc non pendet a voluntate infantium, sed a naturali egestate, qua peccatores constituuntur.

Rursus idem Sanctus = Peccatum originale aliud intelligere nequeo in infantibus, nisi ipsam, quam posui factam per inobedientiam Adae *justitiae debitae nuditatem*. = Nuditas igitur justitiae debitae Adamo et filiis suis (ex voluntate Dei, non ex necessitate naturae) peccatum originale constituit.

f) Thomas 1. 2. q. 82. a. 3. = Oportet, quod id, quod est formale in originali peccato, accipiatur ex parte caussae originalis peccati. Oppositorum autem appositae sunt causae. Est igitur attendenda causa origi-

nalis peccati ex caussa originalis justitiae, quae ei opponitur.... = Et paullo post concludens: = Ergo privatio originalis justitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in originali peccato. = Et a. 2.: = Causa corruptae dispositionis, quae dicitur originale peccatum, est una tantum, scilicet privatio originalis justitiae, per quam sublata est subjectio humanae mentis in Deum; et ideo peccatum originale est unum specie, et in uno homine non potest esse nisi unum numero. = Rursus q. 8. a. 5. = Defectus originalis justitiae est peccatum originale. =

Ut autem doctrina S. Thomae circa naturam originalis peccati magis magisque cognoscatur, et quisque videat quantopere a Thoma dissideant nonnulli theologi, qui thomistae audiunt, operae pretium existimamus hic plura subdere ex Summa excerpta (1.ª 2.ªe art. 1.) = Macula proprie dicitur in corporalibus quando aliquod corpus nitidum perdit suum nitorem...... In rebus autem spiritualibus ad similitudinem hujus maculam oportet dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem, unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in suis actibus: alium vero ex refulgentia divini luminis scilicet sapientiae et gratiae...... Est autem quasi quidam animae tactus, quando inhaeret aliquibus rebus per amorem: cum autem peccat, adhaeret rebus aliquibus contra lumen rationis et divinae legis...... Unde ipsum detrimentum nitoris ex tali contactu proveniens macula animae metaphorice vocatur. = Ad tertium. = Macula non est aliquid positive in anima: nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam nitoris ani-

mae in ordine ad suam causam, quae est peccatum. Et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt, et est simile de umbra, quae est privatio luminis. = (art. 2.) = Macula peccati remanet in anima etiam transeunte actu peccati . . . . . . quia macula importat quendam defectum nitoris propter recessum a lumine rationis vel divinae legis, et ideo quamdiu homo manet extra hujusmodi lumen, manet in eo peccati macula: sed postquam redit ad lumen rationis, et ad lumen divinum, quod fit per gratiam, tunc macula cessat. = Ad tertium. = Actus peccati facit distantiam a Deo, quam quidem distantiam sequitur defectus nitoris hoc modo, sicut motus localis facit localem distantiam. Unde sicut cessante motu locali, non tollitur distantia localis, ita nec cessante actu peccati, tollitur macula. = Confer etiam 2. sent. dist. 30 q. 1 a. 2. De malo q. IV. a. 1. ad II. etc.

g) Accedit auctoritas Bonaventurae, Scoti, Bellarmini l. 5. c. 17. de amiss. gratiae, de Rubeis dissert. c. 46, Cajetani Com. 1. 2. q. 109. a. 2. Suarez t. IV. disp. IX. sect. II. prop. VI., Möhler Simbol., Perrone de peccato originali prop. III. Felix confer. V. anni 1863 et alii innumeri.

h) Hac posita doctrina, evanescunt difficultates omnes Pelagianorum, Socinianorum, et incredulorum contra originalis peccati propagationem, cum quaerere quomodo peccatum originale transfundatur idem sit ac quaerere, quomodo privatio seu nuditas transfundatur.

Haec autem privatio gratiae sanctificantis rationem habet peccati, quia privatione gratiae fit, ut anima avertatur a Deo, ut a fine supernaturali, ad quem con-

sequendum Deus illam creaverat et creat. Haec habitualis aversio a Deo ut a fine supernaturali, hic habitualis status inobedientiae legi Dei propriam habet peccati rationem.

Peccatum igitur originis est:

1.° Privatio gratiae sanctificantis, qua Deus omnes homines ornatos volebat.

2.° Aversio habitualis a Deo tanquam a sanctificatore, minime vero a Deo, ut ordinis naturalis institutore.

3.° Haec aversio est vera macula unicuique inhaerens, quatenus haec privatio animam fulgore illo divino gratiae privat, sicut privatio vitae naturalis est mors corpori inhaerens. — Hinc status peccati originalis est status purae naturae, qui est status peccati ratione decreti Dei, qui homines in gratia constitutos volebat.

Coroll. Hinc ridiculae apparent quaedam hypotheses etiam a catholicis excogitatae ad explicandam propagationem originalis peccati: speciminis gratia hypotheses supra relatae, hypotheses de omnium hominum coexistentia in Adamo, de *capite foederali* etc.

Opp. 1. Peccatum originale, ut docet Tridentinum, est macula inhaerens unicuique propria: ergo non est simplex privatio gratiae.

R. Privatio indebitae pulchritudinis non esset vera macula inhaerens, C.: secus, N. Thomas perbelle 1. 2. q. 86. a 12. quaerit, utrum macula remaneat in anima post actum peccati, et affirmat, et ita pergit: = Cujus ratio est, quia macula importat quemdam defectum nitoris propter recessum a lumine rationis vel divinae legis. Et ideo quamdiu homo manet extra hujusmodi lumen, manet in eo macula peccati: sed postquam redit

ad lumen rationis et ad lumen divinum, quod fit per gratiam, tunc macula cessat. = Nihil clarius dici poterat. Macula igitur originalis est defectus nitoris gratiae divinae, qua deficiente, restat pulchritudo naturalis animae, quae comparata ad pulchritudinem sibi debitam, macula est.

Opp. 2. In parentibus baptizatis nullum est peccatum originale; Deus peccati auctor esse non potest: quomodo igitur peccatum originale propagatur?

R. Si peccatum originale esset quid positivum, difficultas solvi non posset: at cum sit quid negativum, vel privativum, optime intelligi potest.

CAPUT QUINTUM

De effectibus et poenis originalis peccati.

Effectus et poenae originalis culpae considerari possunt prae duplici vita humana, scilicet prae vita temporali, et prae vita aeterna, ut admonet Bellarminus l. VI. de amiss. gr. c. 1. et Suarez vol. IV. p. 364. Et in primis disputemus de poenis et effectibus originalis peccati in hac vita, et sit.

Thes. X. Primarius originalis culpae effectus est sanctificantis gratiae privatio.

D. Haec propositio ex supra dictis sponte sua dimanat: ostendimus enim supra c, 2. peccatum Adami non imitatione, sed vera propagatione in omnes homines transfundi: peccatum autem, quo homines constituuntur filii irae, quod meretur damnationem etc. necessario gratiam sanctificantem excludit. Praeterea definitur for-

maliter in Tridentino loc. sup. cit. in Arausicano etc

Rursus: docet traditio, tenet Ecclesia, per Christum nos ea recuperare, quae in Adamo amisimus: atqui in Christo gratiam sanctificantem acquirimus; ergo etc. — Confirmatur ex necessitate baptismi.

Scholion 1. Simul cum gratia sanctificante ob originale peccatum habitus fidei, spei et charitatis amisimus (Suarez l. c.).

Scholion 2. Peccatum veniale, quamvis gratiam sanctificantem non adimat, est tamen *prae actione voluntaria gravius originali*, ut observat Thomas, et patet ex se, cum in originali nullus sit voluntatis hominis actus proprius, sed ipsius voluntas voluntate Adami a Deo avertatur.

Thes. XIV. Alii effectus et poenae originalis culpae sunt: 1.° amissio integritatis, seu rebellio concupiscentiae: 2.° Vitae dolores et aerumnae; 3.° ignorantia; et 4.° ipsa corporis dissolutio seu mors.

D. Has omnes praerogativas primus homo acceperat, ut vidimus agentes de statu primi hominis, easque, commisso peccato, sibi, nobisque amisit, ut omnes experimur.

Amisimus corporis integritatem, et concupiscentiae stimulis vexamur: voluntas proclivior ad sensibilia, amor nostri inordinatus, indolentia, temporalium sollicitudo, inconstantia, spiritualium, fastidium, impossibilitas *moralis* vitandi omnia peccata etc.

Item propter lapsum originale mens obscurata est, ignorantia laboramus in iis, quae ad Deum, ad nos ipsos, ad leges naturales spectant: unde necessitas *moralis* revelationis etiam quod attinet ad veritates ordinis naturalis.

Item originalis peccati effectus sunt infirmitates, dolores, ipsaque denique mors: hoc demonstratum est supra, ubi disseruimus de immortalitate corporis, ex Tridentino can. 2. sess. V.ª, Arausicano 2. Millevit. (V. Bellarm. de amiss. gr. l. VI.° a c. IX.° usque ad finem libri — Suarez vol. IV.° sect. V.ª — Thomam 1. 2. q. 83. a. 11. 13. q. 85 a. 3. 5. 6. etc.)

Thes. XV. Non minus Scripturae quam rectae rationi adversantur protestantes et jansenistae, qui eo usque originalis culpae effectus extendunt, ut asserant, liberum arbitrium penitus extinctum esse.

D. In sententia protestantium, jansenistarum etc. qua defenditur, gratiam debitam esse naturae, eamque constituere et complere, pronum erat concludere, peccatum originale simul cum gratia ipsam quoque naturam corrupisse, et proinde facultates naturales ipsumqne liberum arbitrium extinxisse.

Liberum arbitrium naturale (quamvis per removens prohibens, ut ajunt theologi, imminutum et attenuatum post originale peccatum remanere, definivit Synodus Tridentina sess. VI.ª c. 5: = Si quis hominis liberum arbitrium post Adae peccatum amissum vel extinctum esse dixerit , aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesia, anathema sit. Alias declarationes Ecclesiae omitto.

Theologi solent plura Scripturarum oracula proferre, quae homini lapso libertatem asserunt. Proferunt Deuter. 30, 19 = Testes invoco hodie coelum et terram, ait Moyses, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem: elige ergo vitam etc.

= Ecclesiast. = Qui potuit facere mala et non fecit etc. = 1.ª Corinth. 7, 27: = Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis etc. = et alia loca, in quibus homini negatur necessitas faciendi et tribuitur electio. Ergo.

Augustinus et Hieronymus ex professo scripserunt de libero arbitrio, illudque defenderunt contra Gnosticos et Manichaeos. Item Basilius, Origenes, Iraeneus, Epiphanius, etc.

Accedunt rationis momenta: 1.° Universalis hominum consensus. — 2.° Ipsi protestantes et jansenistae, qui *practice* se gerunt ut ii qui libertatem admittunt, leges ferunt, consulunt, praedicant, etc. — 3.° Ubique ab hominibus et a coetibus omnibus leges feruntur, quae injustae et ridiculae forent, si nulla esset libertas. — 4.° Praemia et poenae tum in civilibus, tum in divinis legibus statuuntur contra earum violatores; ergo. — 5.° Unusquisque sentit se esse liberum a qualibet necessitate. — 6.° Si libertas destructa fuisset post originale peccatum, homines neque peccarent, neque boni aliquid facere possent. Ergo homines lapsi a quavis necessitate sive externa sive interna soluti sunt, adeoque vera libertate gaudent.

Ut solvantur difficultates, quae ex Patribus, nominatim Augustino, ex theologis, ex Scriptura peti solent, haec observentur. Quandoque homines dicuntur libertate destituti 1.° prae motibus concupiscentiae, — 2.° quatenus jam non amplius Deum diligere possunt, cognoscere, ad salutem pervenire sicut Adam, qui donis supernaturalibus et praeternaturalibus locupletatus erat. — 3.° Destituuntur libertate *naturali* prae ordine et acti-

bus supernaturalibus. — 4.° Dicitur amissa vel vulnerata libertas hominis propter peccatum, quatenus, amissis donis illis Adami, voluntas humana sibi relicta debilior et ad malum proclivior facta est; sed, ut explicat Thomas, hoc contingit per *removens prohibens*, minime vero per naturalis libertatis *ablationem* vel *substantialem imminutionem*..

Thes. XVI. Quod vero attinet ad poenas originalis peccati in vita futura, fide tenemus, hominem privatione aeternae beatitudinis puniri.

D. Haec propositio 1.° de fide est, et probatur ex iis, quae diximus de originali peccato, deque gratiae expoliatione: si enim nemo sine gratia et fide Deo placere potest, et coelum ingredi; si originale peccatum gratiam aufert, sequitur, simul cum gratia jus ad aeternam beatitudinem auferre.

2.° Confirmatur verbis Christi Joan. III.° 3, 5 et ex aliis locis, in quibus necessitas baptismi stabilitur.

3.° Definitum habetur in Concil. Palestin. Carthag. apud August. ep. 90, Millevit. Trident. sess. V.ª c. 1. 2 etc. Florentent. sess. ultima: = Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. =

Brevitatis caussa plura alia argumenta sive ex Patribus, sive ex ecclesiasticis usibus ducta, praetermittimus.

Thes. VII. Quod attinet ad infantes sine baptismo decedentes, dicimus: 1.° Falsam esse quorundam paucorum theologorum opinionem, eos poena damni et sensus perpetuo cruciari: 2.° Relinquendam pariter videri sententiam eorum, qui infantes cum originali peccato de-

cedentes liberant quidem a poena sensus, sed non a tristitia illa, quae ex carentia visionis Dei consequitur.

D. Prima opinio est Gregorii ab Arimino, Driedonis et aliorum paucissimorum; at falsa et atrox prorsus et explodenda. Sane: 1. Quatuor vel quinque theologis exceptis, caeteri omnes cum Thoma, Bonaventura et Suarez hanc sententiam rejiciunt, utpote a divina bonitate et justitia nimis abhorrentem.

2.° Originale peccatum, ut toties monuimus, aufert bona *supernaturalia, non naturalia*: poena igitur peccati ori. ginalis in privatione gratiae et debitae illi gloriae contineri debet, non autem in poena, qua natura ipsa laedatur.

3.° Adulti qui baptizantur nullum dolorem de originali peccato concipere tenentur, vel poenitentiam aliquam facere, et jure merito, quia non est propriae voluntatis actus: itaque si nulla poena in terra propter originale peccatum infligitur, congruum videtur etiam in vita futura nullam poenam sensibilem infligendam esse.

4.° Nazianzenus in s. baptis. docet, infantes a justo judice suppliciis non affici, quia, quamvis non baptizati, improbitate tamen carent (actuali) et jacturam potius fuerint passi, quam fecerint. — Augustinus plurimis in locis ut l. V. c. 8. c. Julian., III. c. 23. de lib. arb. postquam affirmaverit, infantes non baptizatos non ingredi coelum, sed damnari, investigans poenas pergit: = Quae et qualis sit et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nullibi essent, quam ut ibi essent potius expediret. = Hinc eruimus *a*) quodnam judicium ferendum sit de theologis illis, qui auctoritate Augustini asserunt, infantes hujusmodi cruciari sensibilibus poenis: *b*) Au-

gustinum fuisse ancipitem, nihilque definire voluisse, adeoque nostram sententiam non improbare; et tamen fere unus Augustinus ex Patribus opponi solet. — Innocentius III. l. 3. c. Majores ait: = Poenam originalis peccati esse carentiam visionis divinae, actualis autem gehennae perpetuae cruciatum. =

Sunt Theologi, inter quos Petrus Lombardus, Bellarminus et alii, qui contendunt, infantes non baptizatos igne quidem non torqueri, at desiderio beatificae visionis affligi. Relinquendi videntur; siquidem Thomas, Bonaventura et communiter nunc theologi eorum sententiae refragentur, ut statim videbimus: insuper parum esset, infantes ab ignis dolore eximere, si damni poenae eos subjiciunt, quod est longe gravius.

Adde, quod voluntas non ob malum actum a se commissum *positive* torqueretur, sed ob alterius praevaricationem, quod non facile rationi probatur. Confer argumenta allata et alia in thesi sequenti subjicienda.

Thes. XVII. Praeeunte Thoma (de malo q. 5. 3. art. 1.2. 3. II. Sent. dist. 33. q. 12 a. 2. et alibi), tuemur ut probabiliorem et veriorem sententiam, quae tenet, infantes sine baptismate decedentes ita Dei supernaturali visione carere, ut tamen nullum vel externum, vel internum patiantur dolorem, sed naturali felicitate fruantur.

D. In hac controversia Thomam l. c. sequemur, ejusque verba proferemus. Quaerit art. 1. et demonstrat, poenam originalis peccati esse privationem visionis Dei. Art. 2. negat, poenam ad sensus extendi posse. Art. 3. quaerit, utrum patiantur aliquem dolorem, et negat.

Aliqui, sic ipse, posuerunt, quod sentiunt aliquem dolorem vel afflictionem interiorem, ex carentia visionis

divinae; sed nulla ratio videtur esse etc...... Aliis videtur, et melius, quod nullam afflictionem etiam internam sentiant; et hujus rationem aliqui diversimode assignant. Quidam dicunt, animas eorum in tanta ignorantia constitutas esse, ut ignorent, se ad beatitudinem esse factos, et ideo non patiantur. = Sed S. Doctor hanc rejicit: 1. quia hoc in casu privarentur bono naturae, quod est cognitio, et hoc non amittitur per originale peccatum: 2. quia damnati per actuale peccatum habent rationem, et in meliori versarentur conditione.

Pergit s. Doctor: = alii assignant caussam, quod non affliguntur ex dispositione eorum voluntatis. Post mortem in anima non mutatur dispositio voluntatis neque in bonum neque in malum: unde cum pueri ante usum rationis non habeant actum inordinatum voluntatis, neque post mortem habebunt. Non est autem absque inordinatione voluntatis, quod aliquis doleat, se non habere, quod nunquam potuit adipisci: sicut inordinatum esset, si aliquis rusticus doleat de hoc, quod non esset regnum adeptus. Quia ergo pueri post mortem sciunt, se nunquam potuisse illam gloriam coelestem adipisci, ex ejus carentia non dolebunt. Possumus tueri...... quod animae puerorum naturali quidem cognitione non carent, qualis debetur animae separatae secundum suam naturam, sed carent supernaturali cognitione, quae hic in nobis per fidem plantatur, eo quod nec hic fidem habuerunt in actu, neque per sacramentum susceperunt. Pertinet autem ad naturalem cognitionem, quod anima sciat, se propter beatitudinem creatam, et quod beatitudo consistit in perfecta boni adeptione; sed quod illud bonum perfectum, ad quod

homo factus est, sit illa gloria, quam sancti possident, est supra cognitionem naturalem...... Et ideo se privari tali bono animae puerorum non cognoscunt, et propter hoc non dolent; sed hoc quod per naturam habent, absque dolore possident. =

Solvens difficultatem petitam ex cognitione beatitudinis, quam desiderare debent, adeoque dolere, respondet: = Cognoscunt beatitudine in generali, non autem in speciali, et ideo de ejus amissione non dolent. =

Et ad quartum etiam solvens difficultatem ait: = Pueri decedentes in originali peccato sunt separati a Deo perpetuo quantum ad amissionen gloriae, quam ignorant, nan tamen quantum ad participationem naturalium bonorum, quae cognoscunt. =

Alibi; = Quia culpa non fuit ejus opus, sic et poena non potest esse ad dolorem: = Alio loco docet, infantes felices futuros esse.

Rursus: Sciendum est, quod si quis rectam habet rationem non dolet de defectu rei, quae suam excedit proportionem: sic sapiens non dolet, se non habere alas, vel de eo, quod non est rex et imperator, quod ei non debetur . . . . Dico igitur pueros etc. non habere proportionem ad vitam aeternam, quia naturae principiis non debetur . . . . Et ideo nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinae; sed potius gaudebunt de hoc, quod participant divinam bonitatem et naturales perfectiones. = Rursus: = Naturalem habebunt cognitionem Dei, et hoc modo naturaliter eum diligent ..... Naturaliter conjuncti sunt cum Deo quantum ad bona naturalia, et ideo possunt per cognitionem et dilectionem naturalem gaudere. =

Accedunt Bonaventura p. 2. q. 2 Richardus a S. Victore 4 dist 50 q. postrem. etc. Scotus 2 dist. 33. ex Patribus et Ambrosius in ep. ad Rom. Nazianzenus etc.

Praeterea haec sententia nunc obtinet longe lateque in Ecclesia: eam propugnant Molinistae omnes; eam propugnavit acriter Cardinalis Sfondratus, et nostra aetate Bolgeni, Franco etc. Quatuor praelati Gallici eam Romae denunciarunt, sed Roma nullum in eam indicium tuli, imo Romae haec ipse doctrina publice defenditur.

Neque sequentes observationes omitti debent: 1.° Haec doctrina ex dictis de statu purae naturae sponte profluit.

2.° Optime inservit ad propugnandam fidem et solvendas difficultates incredulorum.

3.° Eidem favet sensus fidelium, qui a contrariis opinionibus abhorrent.

4. In dubiis benignior semper sententia est praeferenda.

5.° Cf. argumenta thesis antecedentis p. 1.ª

Placet tractationem absolvere verbis eximii Suarez, qui Thomae vestigiis insistens t. IV.° disp. IX.ª sect. VI.ª haec habet: = Parvuli habebunt veram Dei cognitionem naturalem et amorem ejus super omnia, atque adeo reliquas naturales virtutes, et corpora impassibilia, non ob intrinsecam dispositionem, sed ex providentia Dei, et ipsorum, quia debent esse aeterna: unde non indigebunt cibo, neque potu, quia omnis alteratio tunc cessabit; itaque neque patientur rebellionem carnis, neque interiorem, neque exteriorem pugnam, quia etiam haec esset poena sensibilis, et ad viam haec omnia pertinent, illi vero sunt in termino suo modo.

FINIS.

INDEX

NB. *Dolendum plurimis de causis, quas indicare non refert, plura irrepsisse menda: graviora, prout potuimus, emendavimus: cetera vero doctus lector ipse corriget.*

Pag.	lin.	Errata	Corrige
6	12	Ep	*Ep.*
6	12	Nazianzeno.	*Nazianzeno*
6	14	his	*hic*
8	7	?	.
8	20	Impuri	*Impuris*
13	23	haebes	*hebes*
19	3	doctrina	*doctrinam*
24	penult.	Deinde	*deinde*
24	ult.	dadamus	*addamus*
26	8	Epistola	*epistolam*
27	26	Hac	*Hoc*
27	29	aeternitat	*aeternitati*
32	penult.	philosohos	*philosophos*
43	7	haeretici, Deum	*haeretici, docuerunt, Deum*
44	16	Golria	*Gloria*
44	29	penelrans	*penetrans*
46	ult.	Daput	*Caput*
51	30	Sunferae	*Sunt ferae*
52	2	Cospectu	*Conspectu*
52	30	ideae	*idea*
53	28	i Desaltem	*Dei saltem*
54	25	Prestat	*Praestat*
55	1	ese, non	*esse, non*
56	7	possibilia;	*possibilia*
59	9	suntue.	*suntne*
59	15	realiter	*reali*
62	11	Nomea	*Non mea,*
62	1	eus	*seu*
68	23	pactu	*pacto*
70	22	Videa demque	*videt, eademque*

Pag.	lin.	Errata	Corrige
71	18	Autemundi	*Ante mundi*
72	4	*Συδοκιαν*	Ευδοκιαι
73	15	Cognitionem	*cognitionem*
79	ult.	parvul	*parvuli*
82	26	eaconomia	*oeconomia*
85	20	nissimente	*nisi mente*
92	27	pronti	*prouti*
96	13	virtutae	*virtute*
96	29	temporese quatur	*tempore sequatur*
98	13	homibus	*hominibus*
98	28	gratuitan	*gratuitum*
103	7	obtenendae	*obtinendae*
107	11	nature	*naturae*
110	31	tabefactaret	*labefactaret*
113	6	permitit	*permittit*
117	29	*ονσις*	*φυσις*
118	15	designates	*designantes*
124	19	Basilicas	*Basilius*
143	1	*αννησιεγα*	*αγεννησια*
146	ult.	opstea	*postea*
152	25	scimus	*sumus*
155	9	Verbis	*verbis*
157	13	Filio:	*Filio*
159	9	Spiritus	*Spiritus*
160	26	Lateraneosi	*Lateranensis*
167	17	Spiritus	*Spiritus S.*
168	8	Pater	*Pater*;
176	14	(λκ)	(*εκ*)
177	4	concurrerunt	*convenerunt*
178	20	utebantur	*utebantur*;
178	23	prietatos	*privatos*
178	23	vherodoxas	*vel etherodoxas*
186	19	electiine	*electione*
187	19	Maximun	*Maximum*

Pag.	lib.	Errata	Corrige
188	11	appellat	*appellat ταρχον*
189	14	*οντα*	*οντων*
195	5	incipire	*incipere*
196	14	caput.	*caput*
198	1	idest terminus	*idest ex nihilo effectus: ex parte modi idem dicendum, ut colliginus ex statutis. Ergo.*
199	1	produtio	*productio*
200	24	docet.	*docet,*
200	31	quides	*quidem*
201	8	mundo	*mundum*
201	12	subscrivere	*subscribere*
201	29	mundus	*mundum*
204	3	formam	*forma*
205	12	dicunt	*dicant*
205	24	dicuunt	*dicunt*
205	28	imaginarunt	*imaginati sunt*
208	9	personi	*personis*
212	9	Domtino	*Domino*
214	17	Seus	*Deus*
214	ult.	nearret	*narret*
215	16	Quoad ad	*Quoad*
217	27	Bonav,	*Bonav.*
218	1	tu	*in*
218	2	proprier	*propter*
220	10	haebr.	*Hebr.*
220	20	Haeternitas	*Æternitas*
222	6	hypolhesi	*hypothesi*
222	28	ant	*aut*
224	17	arbitrantur.	*arbitrantur*
229	5	haedificationibus	*edificationibus*
237	31	ipsi	*ipsis*
245	4	daemologia	*daemonologia*

Pag.	lin.	Errata	Corrige
251	18	titularem	*tutelarem*
243	2	m.	*et*
253	17	Matheae	*Matthaeum*
257	8	Ecclesiam	*Ecclesiastici*
257	28	uthol	*Autholicum*
264	12	aegipti	*Aegipti*
272	29	admittitur	*demittitur*
274	12	Monaci et	*Monaci*
275	12	quemque	*quamque*
276	19	Eusebios	*Eusebius*
277	13	Tatiamus	*Tatianus*
289	11	essa	*esse*
293	4	e	*et*
294	10	elavationis	*elevationis*
294	ult.	peccatoer	*peccatore*
296	1	ostendut	*ostendunt*
300	10	orl.gne	*origine*
303	24	divinitas	*divinitus*
304	9	ornato	*ornatos*
305	7	necessitate	*sed necessitate*
307	15	demonstramuns	*demonstramus*
310	10	in Psalmo	*in Psalmum*
310	29	est	*es*
311	17	gratia	*gratiae*
313	12	gentiilum	*gentilium*
313	24	votuntate	*voluntate*
314	ult.	pominem	*hominem*
321	9	que	*quae*
327	26	dici	*diei*
330	19	explicar	*explicari*
336	10	lethaci	*lethali*
338	10	morinnitur	*moriuntur*
338	21	per transiit	*pertransiit*
338	12	φεσιν.	*φυσεως*

Pag.	lin.	Errata	Corrige
339	27	*δια ευοσ αυρο- που η ναμαρτια*	*δια ενος αντροπου η αμαρτει*
340	2	esl	est
340	9	*ιο*	*ω*
340	10	*φυνατον*	*θανατον*
340	25	detictum	*delictum*
341	22	lirurgia	*liturgia*
341	ult.	Omnsi	*Omnis*
343	6	Prepagatio	*Propagatio*
343	7	cecumenicis	*oecumenicis*
345	30	praetereuda	*praetereunda*
349	13	Neocaesariusis	*Neocaesarensis*



OPERE

PUBBLICATE

DALLO STESSO AUTORE

1.° **Il Giovane Studente istruito e difeso nella Dottrina Cristiana.** Trattenimenti ecc. Brescia Tip. Pavoni II Edizione

2.° **Vita di Suor Giuseppa di Lovere.** Brescia Tip. Pavoni.

RECENTE PUBBLICAZIONE

CAPELLINI G[illegible] — **Manuale** per uso de' divoti del *Preziosissimo [illegible] di N. S. Gesu Cristo*, compilato dal Sac. G[illegible] Vic. Capellini, Rettore [illegible] della V. Confraternita sotto il medesimo titolo canonicamente eretta nella Chiesa di S. Angelo in Cremona. Bologna Tip. Pontificia Mareggiani. Cremona Tip. nell'Istit. della Carità Manini 1872. Un Vol. in 16° di p. 164. L. 1, 20.